In Nomine Jesu!

DISCURSUS JURIDICO-HISTORICO-POLITICUS,

MODUM PERVENIENDI AD IMPERIUM

IMPERATORIS ROMANO-GERMANICI,

craßo admodum penicillo adumbrans.

Quem

Consensu Amplissimi JCtorum ordinis in Academiâ Lipsiensi

Sub Præsidio

Viri Perquam Magnifici, Amplissimi, Consultissimiq;

DN. BENEDICTI CARPZOV J.U.D.

Consiliarii Electoralis Saxonici & Facultatis Juridicæ Ordinarii,


Publicæ Disquisitioni subjicit

MELCHIOR HEINRICUS SCHEDIUS,

LL. Studios.

Ad Diem XXIX. April.

In Auditoriô JCtorum Petrinô, horis consuetis.



LIPSIÆ, Literis Quirini Bauchi, ANNO M. DC. LII.

VIRO

Magnificâ Authoritate, Amplissimâ Dignitate, & prudentiâ incomparabili maximè conspicuo,

DN. BENEDICTO CARPZOV,

J.U.D. & Professori in Academiâ Lipsiensi famigeratissimo, Consiliario Serenissimi Saxonis gravissimo & Facultatis Juridicæ Ordinario longè dignissimo,

Domino Patrono, ac Præsidi, ~~perpetuô~~ omni honoris cultû æviternùm devenerando,

Has pagellas sacras esse jubet

ejus observantissimus
MELCHIOR HEINRICUS SCHEDIUS
AUTOR & RESPONDENS.

Jova Juva!

Cap. I.

Electionis naturam in genere pertractans.

Thesis I.



Vetustissimi mortalium nullâ adhuc malâ libidine, sine probro, scelere, eoq; sine poenâ aut coërcitionibus agebant, neque praemiis opus erat, cum honesta suopte ingenio peterentur, & ubi nihil contra morem cuperent, nihil per metum vetabantur. At postquam exui aequalitas & pro modestiâ ac pudore ambitio & vis incedebat, provenere dominationes, & apud plerosque populos mansere. Tac, 3. annal. p. m. 72. Qui astutioris enim ingenii simpliciores circumveniebant, & omnibus bonis exuebant, omniq; infortunio impertiebant. Quibus injuriis medelam quaerebant ii, quos ad fastigium regiae majestatis non ambitio popularis, sed spectata inter bonos moderatio provehebat. Populus nullis legibus tenebatur, sed arbitria Principum pro legibus erant. Justin. lib 1. c. 1. Neqne tyrannicô ritu sed patrium in morem exercebantur haec imperia praecipuè cum singulis familiis praesidere soleret, quem Natura primogenitum salutaverat. Excrescentibus verò illis familiis, cum serie non interruptâ, tamquam ex equô Trojanô prosilirent liberi, quos una domus capere non poterat, in pagos, civitates, ac denuo integra regna abibant. Regia potestas exinde exosa fiebat, quod plerique non rectorem & cives, sed dominationem & servos cogitarent. Indè quod non omnes ad fasces imperii admitterent, quorum Parentes Reges habuerant, sed è numerô omnium eligerent, quos benè administraturos sperabant, ac leges quasdam Imperiales seu fundamentales ferrent, quibus Reges etiam astringerentur. Quales jam olim à Servio Tullio, praecipuô legum Sanctore latas gravissimus ille scriptor, Tac. memorat. lib. 3. annal. p. m. 72.

TH. II.

Electionem enim, cum tot oculis spectata, tot insinuata sensibus, tot insuper in tutô locata manibus, optimum semper invenire, & qui virtute præstat, recta ratio suadet ac inculcat. Quod aurea illa morituri jam Alexandri vox insinuat, qui Optimo se relinquere regnum interrogantibus respondit. Curt. lib. 10. c. 5. Cum quo facere videtur illud Neronis, qui valetudine æger & adulantibus circum, qui finem imperiô adesse dicebant, si quid fati pateretur, habere Rempublic. in Regulô Memmio subsidium, respondit, qui auctoritate, constantiâ, famâ, in quantum præumbrante Imperatoriô fastigiô datur, clarus fuisse fertur. Tac. lib. 14. an. Et laudabili exemplô Cunradus I. Imperator adductus admiratione virtutis & Sapientiæ Heinrici Aucupis etsi inimici ad eum fasces imperii deferri jussit. Peucer. lib. 4. Chronicor. in Cunrad. Imperat. Neque aliâ de causâ Carolus IV. Imperator electionis Regis Romanorum initium à Missæ decantatione desumendum esse voluit: quo scilicet Spiritus S. corda Electorum illustret, & eorum sensibus lumen suæ virtutis infundat, ut ipsius præsidiô fulti hominem justum, utilem, bonum, eligere valeant. A.B. tit. 2.

TH. III.

Diversa verò cum Reipubl. forma, tùm etiam eligendorum ratio modum eligendi variavit. Aliquandò enim fortunæ res fuit commissa, aliquandò etiam rectè sentientium judicio. A quibus fortunæ auspicio hæc concredita, plerumque per sortem electionem peregerunt. Hanc quandoque in populô Dei in usu fuisse legimus, exemplô Saulis, quem antea à Deo delectum unctumque populus sorte delegit. 1. Sam. 10. v. 20. & 21. Ita Apostoli in mediô constituerunt Josephum & Matthiam & sors cecidit super Matthiam & annumeratus duodecim Apostolis. Act. 1. v. 26. Atheniensium ea erat eligendi ratio, ut senatum quingentorum sorte legerent, In Romana Republic. ambitu suffragiorum suspectô sorte ducebantur, qui ex numerô prætorum præessent. Tac. lib. 13. annal. p. 185. Etiam qui in provincias mittendi erant, sortiri solebant. Sorte obvenit Sullæ Asia eamque hâc ratione postea obtinuit Lucullus, Vellej. Patercul. lib. 2. hist. 18. v. 4. & c. 33. v. 1.

Indè

Indè illæ Decii querelæ, cum Fabio extra ordinem Etruria data esset, omnes ante se consules provincias sortitos esse, nunc extrà sortem Fabio senatum provinciam dare. Liv. lib. 10. cap. 24. Aliis alia rem fato committendi fuit ratio, præcipua sanè septem illis Persarum Principibus, qui Magis occisis ita pacti inter se, ut die statutâ omnes equos ante regiam primò maneperducerent & cujus equus inter Solis ortum hinnitum primus edidisset is Rex esset. Justin lib. 1. Persæ enim solem unum Deum credebant & equos eidem sacratos ferebant. Cuidam etiam Solis radii in apice turris primum conspecti indicio erant, quod insignia imperii ipsi decernerentur.

TH. IV.

Cæterum cùm sors interdum ad parum idoneos deerret, Tac. 13. annal. melius sapere videntur ii, sicubi extra necessitatis casum fieri possit, qui suffragiis rem peractam volunt, Germanos in comitiis suis Principes legisse, qui jura per pagos vicosque redderent, laudabili exemplô Tac. memorat. de mor. German. Optimi illi Reipubl. administratores Romani, cum imperium prima sub Regibus cepisset in cunabula, ita instituerant, ut mortuo Rege res ad patres rediret, qui inter regem nominabant, eoque comitia habente populus, Regem creavit, Patres auctores fiebant. Liv. lib. 1. c. 32. Cùm enim populus decem decuriis è patribus factis multiplicatam servitutem centum pro uno Dominos factos clamitaret, Patres offerendum ultrò rati, quod amissuri erant, ita gratiam inibant, summâ potestate populo permissâ, ut non plus darent Juris, quam detinerent. Liv. lib. 1. c. 17. Post ejectos Reges cùm res consulum arbitrio regeretur, ii centuriatis comitiis creari ceperunt. Liv. lib. 1. c. 60 Eadem quoque senatorum creandorum ratio extat. Brutus enim, cædibus Regum diminutum patrum numerum primoribus equestris gradus lectis ad trecentorum summam explevit, inde fertur, ut in senatum vocarentur, qui patres, quique conscripti essent, conscriptos videlicet in novum senatum appellabant lectos. Liv. lib. 2. c. 1. Plebeji etiam Magistratus convocatis nominabantur comitiis. Audivimus enim Voleronem rogationem ad populum tulisse ut plebeji Magistratus tributis comitiis fierent. Et quamvis contrà ni-

terentur patres, victi tamen populi pertinaciâ in eorum sententiam ire cogebantur, quicquid tandem Appius murmuraret. Liv. lib. 2. c. 56. 57. & 58. Mansit aliqua hujus electionis species cum Romani regum iterum jugo succollarent. Pontifex electus videri volebat Julius licet plurimorum vota emercaretur. Sueton. in vit. Jul. c. 13. ac comitia cum populo partiretur, ut exceptis consulatus competitoribus de cætero numero candidatorum, pro parte dimidiâ, quos populus vellet, pronunciarentur, pro parte alterâ, quos ipse edidisset Sueton. in Julio c. 41. Itidem vota extorquebat Augustus, qui consulatum anno ætatis vigesimo invasit, admotis hostiliter ad urbem legionibus, missisque, qui sibi nomine exercitus id deposcerent. Cum quidem cunctante Senatu Cornelius Centurio Princeps legationis rejectô sagulô ostendens gladii capulum non dubitâsset ita in curiâ verba facere: *Hic faciet, si vos non feceritis*. Sueton. in vit. Aug. c. 26. Quamvis, quod ad se traxerat, summâ comitate administrâsse videri vellet, dum populo magnâ vi dictaturam offerente, dejecta ab humeris toga, genu nixus nudô pectore deprecaretur, dominumque se appellari ne à liberis quidem pateretur, c. 53. ac nullâ re magis lætaretur, *quam quod pater patriæ senatus populiq; consensu renunciaretur*. c. 58. Meminisse jubebant hæc vestigia, antiquæ libertatis, qualia nec sub Tiberiô deerant, cui cum summa imperii deferretur, vix adigi poterat, ut illam susciperet, cum de magnitudine Imperii varius varia dissereret, *quod dici haut satis posset, quam arduum, quamq; subjectum fortunæ sit regnandi cuncta onus*. Dabat enim famæ ut vocatus potius electusque quam per uxorium ambitum & senili adoptione irrepsisse videretur. Tac. lib. 1. annal. p. 6. & 8. Cumque tempore Neronis exortus Cometes Neroni finem Imperii portendere videretur, quasi jam depulsô Nerone quisnam deligeretur, inquirebant, & ore omnium Rubellius Plautius celebrabatur, cui nobilitas per matrem ex Juliâ familiâ, quique placita majorum colebat habitu severô, castâ & secretâ domo, quantô metu occultior tantô, plus famæ adeptus. Tac. lib. 14. ann. p. m. 205. Donec tandem improba militum manus suffragiorum jus impetu planè in sanô ad

se traheret

se traheret. Gliscebat hoc malum Augusto Imperatore consulatum affectante, cujus rei indicio esse possent, quæ jam à nobis dicta, ac magis magisque sub Tiberio incrementum capiebat, qui omnibus modis detestabatur, quod Agrippina, tanquam parum ambitiosè filium Ducis gregali habitu circumduxisset, & Cæsarem à militibus appellari voluisset. Tac. lib. 1. ann. p. m. 28. Plus licentiæ sibi attribuebant turbatæ Germanicæ legiones, magnâ spe fore, ut Germanicus Imperium alterius pati nequiret, daretque se legionibus, vi sua cuncta tracturus. Id. 1. an. p. m. 15. Etiam Tiberium in loco prælii Imperatorem salutando, struendoque aggerem, & in modum trophæorum arma subscriptis victarum gentium nominibus imponendo, ostentabant in suâ manu situm Imperatorem confirmandi, & triumphalia insignia ei assignandi. Tac. 2. ann. p. m. 39. Sub Claudio erupit, quod hactenus emicuit. Animadverterat hunc gregarius miles inter prætenta foribus vela latentem, eumque extractum Imperatorem salutaverat. Communicatâ deinde re cum commilitonibus lecticæ impositus in castra ferebatur ac Imperator publicè renunciabatur. Sueton. in vit. Claud. c. 10. Mæsiaci exercitus omni rapinarum genere grassati, cùm timerent, ne sibi reversis reddenda ratio. Vespasiani nomen vexillis omnibus inscripsere, quòd se non deteriores arbitrarentur aut Hispaniensi exercitu, qui Galbam, aut Prætorianô qui Ottonem, aut Germaniciano, qui Vitellium fecissent. Sueton. in vit. Vespasian. c. 6. junge Tac. lib. 1. histor. p. m. 276. de Vitellio, de Ottone, 1. hist. p. m. 283. & 84. de Vespasiano lib. 2. hist. p. 318. Qualis autem fuerit illa militum electio quibusque artibus & conditionibus duces populi Romani durante illô eligendi more ad imperium fuerint provecti elegantissime explicatur ab Erasmo in præfatione, quàm in Tranquillum editam, ad Duces Saxoniæ Fridericum & Georgium misit. Inseruit hunc locum scripto suo de Comit. Imperat. Onuphr. Panvinius, qui plenius quoque causam introducti hujus eligendi in Imperio modi, & quousque duraverit, exposuit, d. lib. c. 1.

TH. V.

Quemadmodum autem diversus subindè eligendi modus ad diversas aberravit personas; Ita nec minus diversa fuit potestas,

stas, quàm ex suffragiis vel etiam sorte præcipui obtinuêre: Dictatorum imprimis in Romanâ Republ. spectata dignitas, qui absolutam adeò habebant potestatem, ut provocatio ab iis non daretur. Loquitur id prima dictatoris institutio, ubi notatum à Livio, quod neque ut in Consulibus, alterius auxilium neque provocatio esset: lib. 2. c. 18. Unde Dictatoris edictum pro Numine servatum ap. eund. Liv. lib. 6. legas. & modo prætorem maximum Liv. lib. 7. modò etiam Magistrum populi appellatum. Senec. Epist. 309. Cic. 3. de finib. Devolutâ etiam ad Principes summâ Imperii Dictatoris dignitas nondum penitus exoleverat. Cum enim in modum Magistrorum Equitum crearentur præfecti prætorio, quod summa fuisset Dictatorum potestas, quibus Magistri equitum tanquam participes curæ adsociati, secundam post eos potestatem gererent, ita augeri cepit eorum autoritas, ut appellari à Præfecto Prætorio non posset. arg. l. un. ff. de Præfect. Prætor. Quamvis non negandum sit nec exempla deesse, quo provocatum à Dictatore fuerit. Ita enim audivimus Parentem Fabij, Magistri equitum, contra Papirium Dictatorem assurgentem: *Tribunos plebis appello & provoco ad populum, eumq; tibi fugienti exercitus tui, fugienti Senatus judicium, Judicem fero, qui certè unus plus quàm tua dictatura potest polletq;.* Liv. lib. 8. c. [illegible] Plutarchus etiam in vit. Fabij scripsit; Fabium Dictatorem designatum à Senatu petiisse ut sibi Dictatori liceret equo uti, quod veteri quâdam lege facere illud Dictatores prohiberentur. Adeò ut exinde Dictatorem volente populô indigere colligere liceat. Si aliquid plenius de hôc nosse cupias, vid. Rosin. lib. 7. antiquit. Romanar. c. 17.

TH. VI.

Majorem in partem consulum videtur restricta fuisse potestas, qui licet primò omnia jura, omniaque insignia obtinerent. Liv. lib. 2. c. 1. postea tamen lege Valeriâ factum ut provocatio daretur contra Consulem, Liv. lib. 2. c. 7. & 8. Gell. noct. Attic. lib. 13. c. 12. Junct. l. 2. § 16. ff. de O. J. cautumque ea lege ne in caput civis Romani in jussu populi intra fines urbis animadverteret. (quod primum Consulem Brutum adhuc habuisse cognoscimus

mus, ex Liv. lib. 1. & Dionyſ. Halycarnaſſ. lib. 5. antiquit. Roman. c. 6.) Enervari inprimis Conſulum poteſtas tribunitiis interceſſionibus cepit, quibus ſæpè conatus Conſulum retardatos impeditosque Livii imprimis loquuntur ſcripta. Poſtremò occupatâ ab Imperatoribus Republ. cum illi omne jus atque Imperium ad ſe paulatim traherent, nomen ſine viribus & ſola fermè inſignia veteris potentiæ Conſulibus ſunt relicta. Qvi apud Lacedæmonios aliquando optimates videri volebant, & Imperatores ſalutabantur, Ephoris ſubjecti erant, penes quos ſumma poteſtas erat. Cornel. Nep. in vit. Themiſtocl. Inde Pauſanias cum domum rediret ab Ephoris in vincula publica conjiciebatur, quod legibus eorum cuivis Ephoro hoc facere regi liceret. teſt. eod. auct. in vit. Pauſan. Habebant etiam in ſuâ Republ. veteres illi Germani certos limites poſitos, intra quos Reges ſuos vel Principes detinebant; dum audirent eos, ubi concilia ſua inſtituiſſent, ſuadendi magis, quàm jubendi poteſtate; Si diſpliceret ſententia, fremitu aſpernabantur, ſin placeret, frameas concutiebant. Tac, de morib. German. p. m. 406.

TH. VII.

Ut autem detinerentur intra fines ſibi poſitos, viſum pleriſque non perpetuos ſed ambulatorios habere Magiſtratus, modò etiam ratio ſtatus id admitteret. Eô enim ingeniô ſunt homines, ut poſtquam multum temporis in poteſtate tranſegerint, patriis moribus haudquaquam ſibi vivendum ducant. Catulus ap. Dion. 36. Qui ſemel imperandi dulcedinem deguſtarunt, privatam vitam paullò magis plerunque, quàm animæ à corpore ſeparationem horrent, & privatæ domus anguſtias, ut crudele patibulum abominantur. Poſt ejectos Reges libertatis originem indè magis notat Livius, quòd annuum conſulare imperium factum, quàm quod ex regiâ poteſtate quicquam deminutum ſit. lib. 2. c. 1. Cenſores quintò quoque anno creari ſolebant. Quod Cic. 3. de LL. refert, ubi de Cenſoribus illa ex LL. 12. tab. commemorat:

Magiſtratum quinquennium habento,
Reliqui Magiſtratus annui ſunto,
Eaque poteſtas ſemper eſto,

Dictatorum regularis semestris fuit potestas, quanquam in magnis periculis ad annum nonnullis fuerit prorogata, ut Camillo, quando iterum fuerit Dictator, & bis Papirio Cursori, & Q. Fabio Maximo. Necessitas enim, quæ omni lege superior regulari interdum viâ abducere solet. Florentiæ olim lex fuerat, *ne prior Reipubl.* (is verò summum honorem gerebat) *intrà triennium, ex quô Magistratu abierat, eundem petere posset.* Leonard. Aretin. 4. histor. Florent. In eadem urbe cautum aliquandò fuit, *ne Reipubl Vexillifer,* (Gonfalonerium vocabant) *in perpetuum crearetur, sed annua esset illa dignitas.* Gvicciard. XI histor. Regnum Assyrium mille annos stetit inconcussum, ob eam maximè causam, quod præfecti quotannis mutarentur. Indè cum Asinius Gallus censuisset, in quinquennium Magistratuum comitia habenda, eam sententiam altius penetrare, & arcana Imperii tentari arbitrabatur Tiberius. Nempè superbire homines annuâ designatione, quid si honorem per quinquennium agitent. Tac. lib. 2. ann. p. m. 43. Quare nescio annon aliquid hâc in parte peccare videantur Veneti, in quorum Republica illud adhuc Monarchicum relictum, quod Dux ipsorum perpetuum principatum obtineat, potestatem itidem habeat senatum cogendi & consulendi, quamquam ipse nihil ex decreto Senatus statuat, quod perindè est, ac si Romæ perpetuum consulatum gereret. Denique cum Venetiis facilè sint sexaginta novem sive consilia, sive tribunalia, & Judicum ordines, Dux his omnibus interesse & præesse potest, quod quanti sit in Republ. nemo ignorat. plura vid. ap. Contz. lib. 1. Politic. c. 21. thes. 11. Sanè convertendi apud Romanos status indicium erat, cum Julius Dictator perpetuus salutari ambitiosè vellet, Sveton. in vit. Jul. Cæsar. Cum Pompejo suspectæ Cæsaris opes, & Cæsari Pompejana dignitas gravis, nec hic ferret parem nec ille superiorem: sic de principatu laborantibus, tanquam duos tanta Imperii dignitas non caperet. Flor. lib. 4. c. 2. Non planè alienum ab hujus exemplo illud Augusti, qui quamvis Dictaturam deprecaretur summopere, plerosque tamen gerebat consulatus, tantum illud cavens ne odiosum populo nomen in se traduceret.

Tandem

TH. VIII.

Tandem cui quasi basi salus omnium regnorum inniti videtur, leges plerunque latæ, quibus summatum potestas coerceretur, & velut frœno retraheretur, si ad illicita quandoque ferri insano ausu cepisset. Præcipuus legum Sanctor Tacito memoratur Servius Tullius, quibus etiam reges tenerentur. 3. annal. p.m.72. Donec lege regia sub Augusto lata omnem potestatem populus in regem effunderet, vid. hariolantem hac de re Wesenbec. ad Tit. IV. de Constit. Princip. Constabant & Consulibus suæ leges consulariæ dictæ, ut & annariæ, quibus constituebatur, quo demum anno aliquis ad fasces admitti debeat, ut & aliæ Calphurnia, Tullia ac Pompeja, quæ de ambitu caverent.

TH. IX.

Tali etiam vinculo suos astringere noverant Comites Helvetii, cum Respublica eorum primam traheret infantiam, qui delatum à Ludovico circa annum 1323. Joannem Arbergerium, tribus pagis præfectum, spondere jubebant, se nolle libertatem & fœdera pagorum ullô modô tollere aut imminuere, neque passurum, ut ab Imperiô abalienentur, & sub Austriorum vel pulsæ nobilitatis Imperium redigerentur. Johann. Simler. lib. 1. de Republ. Helvet. p. m. 25.

TH. X.

In Galliâ præcipuè lex Salica nota, quæ fœminam regno præesse vetat, Joh. Bodin. lib. 1. de Republ. c. 8. Ne scilicet summa regni ad aliquem Principem externum deferatur. Fœminæ enim, exemplô Mariæ Angliæ Reginæ nubere volentes, non subditis nuberent, sed ad peregrinos animum adjicerent. & sic per consequentiam regnum ad exteros deferrent. Præter quod illud etiam sanctissimè servatur institutum, ne Regi Jus sit, ullam dominii sui partem sine publici Concilii autoritate alienare. Jean de Serres tom. 1. de l'inventaire de l'histoire de France. Omnia enim Principis Imperiô, non dominiô, potestate, non proprietate, universè, non singulatim, solâ Jurisdictione, non possessione & usu, Sen. lib. 7. de benefic. c. 4. & 5. Quod clarissimus etiam Galliæ JCtus & Historicus Franciscus Hotomannus in Francogalliâ

ſuâ docet Regibus ſcil. Francogalliæ non infinitam & liberam potestatem à civibus ſuis permiſſam, ut legibus ſoluti dici poſſint, ſed certis pactionibus obligatos eſſe. Nec ipſe Bodinus id abnegat, qui lib. 1. c. 8. n. 88. duas jurisjurandi formulas recenſet, quarum priori Philippus I. Rex Francorum Heinrici filius regno ſeſe obligavit: Poſteriorem verò ex antiquisſimis Bibliothecæ Gergobiorum archivis excerptam omnibus Regibus ad intuendum & imitandum proponit.

TH. XI.

In quas leges de promovendâ regni utilitate jurare teneantur Reges Hiſpanorum, Anglorum, Scotorum, Ungarorum, Polonorum, Bohemorum, Danorum itidem & Suecorum id apud Reinhard. König altius eſt expreſſum, ita ut illud jam repetere ſupervacaneum duxerim lib. 1. politic. c. 20. à theſi 21. uſq; ad th. 28.

TH. XII.

Apud Perſas Rex ſummô cum imperiô erat, αὐτοκρατὴς καὶ ἀνυπεύθυνος, ut de eo Plutarchus loquitur, & ut imago DEI adorabatur, & ut apud Juſtinum eſt, non mutabatur, niſi morte lib. 10. Rex erat, qui dicebat Proceribus Perſarum: *Ne viderer meô tantummodò uſus conſiliô, vos contraxi, cæterùm mementote parendum vobis magis eſſe, quàm ſuadendum*: Valer. Max. lib. 9. c. 5. in extern. §. 2. Tamen & jurabat cum regnum adiret, quod Xenophonti & Diodoro Siculo notatum, & leges certâ quâdam formâ latas mutare illi nefas, quod & Danielis hiſtoria c. 6. v. 8. 12. 15. & Plutarchus in Themiſtocle nos docent, Diodor. quoque Siculus lib. 17. & multò poſt tempore Procopius Perſici belli lib. 1. ubi inſignis hanc in rem hiſtoria extat. Idem de Æthiopum Regibus tradit Diodor. Sicul. Eodem tradente Ægyptiorum Reges, quos tamen ut alios Reges Orientis ſummo Imperio uſos non eſt dubium, ad multarum rerum obſervationes obligabantur: verum ſi contra feciſſent accuſari vivi non poterant, ſed mortuorum accuſabatur memoria & damnatis abjudicabatur ſolennis ſepultura, ſicut & Hebræorum Regum, qui malè regnaſſent, cadavera extra proprium Regibus locum ſepulta. 2. Paral. 24. v. 25. 28. v. 27. egregio temperamento, quo & ſanctimonia

ſummæ

summæ potestatis manerer, & tamen futuri judicii metu Reges à fide mutandâ retraherentur. Epyri quoque Reges jurare solitos regnaturos se juxta leges ex Plutarcho in Pyrrhi vitâ discimus.

TH. XIII.

In Imperio denuo nostro ab antiquo fuit receptum, ut administratio Regi Germanorum non absolutè, sed certis conditionibus deferretur, in quas juret Imperator, se summô observaturum studiô. Vocatur earum Instrumentum, antiquo, sed barbaro vocabulo, capitulatio. In gravaminibus Passavii anno 1550 exhibitis dicitur die Keyserliche Obligation, olim appellabantur leges Palatinæ ut docet Goldast. in Dedic. Tom. III. constit. Imper. Planè enim si populus Regem fecerit non plenô jure, sed additis legibus, poterunt per eas leges contrarii actus fieri irriti, aut omninò, aut ex parte, quia eatenus populus sibi jus paravit. Ex promisso enim & contractu Regis, quem cum subditis iniit vera nascitur obligatio, quæ jus dat ipsis subditis, pro naturâ omnium contractuum, quæ utramq; partem firmo vinculo astringit, prout egregiè id obtentum à Grotio lib. 2. de Jur. bell. & pac. c. 14. quamvis alia ratio in iis legibus dominetur, quæ à summâ majestate profluxerunt, quâ de re Grot. de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. c. 4. th. 12. & c. 20. th. 24.

Cap. II.

Translationem Imperii ad Germanos, & rationem perveniendi quondam ad Imperium suetam repetens.

TH. I.

Cum jam ad Imperium nostrum Romano Germanicum, de quo quædam repetenda duximus, devenerimus, primùm indaganda nobis ratio videtur, qua in Orientale & occidentale ruptum. Quæ res si non in cunabula, munimenta ad minimum sua Constantino M. debet. Quippe divisô jam pridem Imperiô illud deesse ad integram dignitatem atque

 amplitu-

amplitudinem videbatur, ut urbs magnitudine & nobilitate æqualis Romæ pararetur, quæ ut illa Occidentalis, sic hæc orientalis majestatem Imperii sustineret, Constantinus, magnificum atque illustre fore nomini suo putavit, si hâc urbe constitutâ tantum ipse decoris invexisset. Igitur consiliô de novâ condendâ urbe explicitô, locum propè Ilium urbem in Sigeo promontorio sitam decennali quondam Græcorum bellô nobilitatam, munire constituit, cumque fundamenta jecisset, & muros ad aliquam latitudinem excitâsset, reprobatô consiliô animum ad Chalcedonem, quæ in Bithynia est, contulit. Verum designatô vix opere, quod aquilæ devolâssent, & fabrorum funiculos raptos Byzantium detulissent, tanquam divinô adversante Numine constituit, ut antiqua Byzantium, quam Lacedæmonii olim Pausaniâ Duce condiderant coloniam, & bellô civili Pescenniano, quod Nigro constantissimè adhæsisset, Severus Imperator penitus excisam, in vici formam redegerat, restitueretur. Quo cum Imperii sedem transtulisset, eô animô ut Gothis Thraciam infestantibus ex propinquo gravius incumbere posset, vel sexcentorum malorum & invasi à barbaris Imperii fons fuit & origo. Quod munitum & firmum divisum in duo Imperium reddidit infirmum. Deinde præcipua Imperii sustentacula limites videlicet Romani orbis, qui ab Augusto super Rhenum & Danubium XV. legionum præsidiô additô providentissimè firmati fuerant, translatis in Orientem exercitibus sustulit: eorumque locô castella, munitiones quasdam condens, eas debilibus admodum præsidiis munitas reliquit, quæ per tot annos egregiâ Romanorum virtute ab immanissimis barbaris defensæ fuerant. Tertium erratum Politicum fuit, quod Gothis à se victis & trans Isthmum compulsis, eâ lege pacem dedit, ut militum quadraginta millia quandocunque opus esset, Imperatori traderent. Hoc enim fuit causa auctæ apud Gothos militiæ, faciliusque posteà occupati ab iis Imperii. Quæ omnia eventus comprobavit, Etenim maxima Imperii pars jam Honorii & Valentiniani tempore à Germanicis gentibus, quas Rhenus & Danubius hactenus abstinuerant occupata est, adeoque nondum integris quinquaginta annis perierat Romanis penè mille armorum opus. Ita Hispania Vandalis, Visegothis

ac

ac Svevis, Gallia Francis ac Burgundis, Britannia Pictis & Scotis, Saxonibus, Anglis: Vindelicium ac Noricum & Rhetiæ pars Bajoariis atque Alemannis: Pannonia Hunnis atque postea Hungaris subacta. Nec Italia fuit intacta. Seculo enim quinto nempè annô Christi quadringentesimô septuagesimô septimô Odoacer Herulus Rex Gothorum Augustulum novissimum Occidentis Imperatorem Oreste patre suo, qui filio Imperium paraverat occiso, Imperio Italiæ, quæ una tantum provinciarum omnium Occidentalium supererat, exegit, Italiâque & urbe Româ nobilissimâ Imperii Occidentalis parte potitus est. Postea octo alii Reges Gothorum Italicis rebus præfuerunt, quorum virtute regnum administratum. Mansit hic status usque ad seculi VI. annum quadragesimum, quo Justinianus per Belisarium primò adversus Gothos incertô Marte pugnavit, ut profligati quam victi verius viderentur, donec Narses Eunuchus, Justiniani Dux, & per Italiam Legatus eos penitus ejiceret, Italiamque per quindecim annos teneret. Mortuô autem Justinianô Justinus II. nepos impellente Sophiâ uxore Narsetem contumeliosè ex Italiâ evocans, Longobardi è Pannoniâ à Narsete invitati, Italiam per omnem pulsis Cæsarum præsidiis, suæ ditionis faciunt, nihil relictô in Italiâ, præter Romam ipsam, ejusque pomœria, Penthapolim, Exarchatum Ravennatensem, urbemque Venetiarum. Quare cum ab Imperatoribus Orientalibus sæpiùs auxilia à Romanis contra Longobardorum immanitatem implorata essent, eaque ab eis negarentur: tùm quod imbecille factum Imperium ad vicina loca à Sarracenis, Bulgaris, Hunnis & cæteris circumvicinis barbaris tuenda, vix sibi vires suppeditarent: tùm etiam, quod Constantinopolitani Imperatores in fœdam Iconomachiæ hæresin lapsi maximas & plusquam hostiles cum Romano Pontifice, acriter ipsorum insaniæ adversante simultates gererent, tunc primò ad Francorum potentissimos Reges à Romanâ sede respici ceptum eorumque auxilium imploratum. Indè exsurgit agitatissima illa inter Politicos quæstio, An translatio Imperii ad Germanos in personâ Caroli M. facta sit, quod ex mente virorum gravitate maximè conspicuorum asserimus.

TH. II.

amplitudinem videbatur. ut urbs magnitudine & nobilitate æqualis Romæ pararetur, quæ ut illa Occidentalis, sic hæc orientalis majestatem Imperii sustineret, Constantinus, magnificum atque illustre fore nomini suo putavit, si hâc urbe constitutâ tantum ipse decoris invexisset. Igitur consiliô de novâ condendâ urbe explicitô, locum propè Ilium urbem in Sigeo promontorio sitam decennali quondam Græcorum bellô nobilitatam, munire constituit, cumque fundamenta jecisset, & muros ad aliquam latitudinem excitâsset, reprobatô consiliô animum ad Chalcedonem, quæ in Bithynia est, contulit. Verum designatô vix opere, quod aquilæ devolâssent, & fabrorum funiculos raptos Byzantium detulissent, tanquam divinô adversante Numine constituit, ut antiqua Byzantium, quam Lacedæmonii olim Pausaniâ Duce condiderant coloniam, & bellô civili Pescenniano, quod Nigro constantissimè adhæsisset, Severus Imperator penitus excisam, in vici formam redegerat, restitueretur. Quo cum Imperii sedem transtulisset, eô animô ut Gothis Thraciam infestantibus ex propinquo gravius incumbere posset, vel sexcentorum malorum & invasiâ barbaris Imperii fons fuit & origo. Quod munitum & firmum divisum in duo Imperium reddidit infirmum. Deinde præcipua Imperii sustentacula limites videlicet Romani orbis, qui ab Augusto super Rhenum & Danubium XV. legionum præsidiô additô providentissimè firmati fuerant, translatis in Orientem exercitibus sustulit: eorumque locô castella, munitiones quasdam condens, eas debilibus admodum præsidiis munitas reliquit, quæ per tot annos egregiâ Romanorum virtute ab immanissimis barbaris defensæ fuerant. Tertium erratum Politicum fuit, quod Gothis à se victis & trans Isthmum compulsis, eâ lege pacem dedit, ut militum quadraginta millia quandocunque opus esset, Imperatori traderent. Hoc enim fuit causa auctæ apud Gothos militiæ, faciliusque posteà occupati ab iis Imperii. Quæ omnia eventus comprobavit, Etenim maxima Imperii pars jam Honorii & Valentiniani tempore à Germanicis gentibus, quas Rhenus & Danubius hactenus abstinuerant occupata est, adeoque nondum integris quinquaginta annis perierat Romanis penè mille armorum opus. Ita Hispania Vandalis, Visegothis

ac

ac Svevis, Gallia Francis ac Burgundis, Britannia Pictis & Scotis, Saxonibus, Anglis: Vindelicium ac Noricum & Rhetiæ pars Bajoariis atque Alemannis: Pannonia Hunnis atque postea Hungaris subacta. Nec Italia fuit intacta. Seculo enim quinto nempè annô Christi quadringentesimô septuagesimô septimô Odoacer Herulus Rex Gothorum Augustulum novissimum Occidentis Imperatorem Oreste patre suo, qui filio Imperium paraverat occiso, Imperio Italiæ, quæ una tantum provinciarum omnium Occidentalium supererat, exegit, Italiâque & urbe Româ nobilissimâ Imperii Occidentalis parte potitus est. Postea octo alii Reges Gothorum Italicis rebus præfuerunt, quorum virtute regnum administratum. Mansit hic status usque ad seculi VI. annum quadragesimum, quo Justinianus per Belisarium primò adversus Gothos incertô Marte pugnavit, ut profligati quam victi verius viderentur, donec Narses Eunuchus, Justiniani Dux, & per Italiam Legatus eos penitus ejiceret, Italiamque per quindecim annos teneret. Mortuô autem Justinianô Justinus II. nepos impellente Sophiâ uxore Narsetem contumeliosè ex Italiâ evocans, Longobardi è Pannoniâ à Narsete invitati, Italiam per omnem pulsis Cæsarum præsidiis, suæ ditionis faciunt, nihil relictô in Italiâ, præter Romam ipsam, ejusque pomœria, Penthapolim, Exarchatum Ravennatensem, urbemque Venetiarum. Quare cum ab Imperatoribus Orientalibus sæpiùs auxilia à Romanis contra Longobardorum immanitatem implorata essent, eaque ab eis negarentur: tùm quod imbecille factum Imperium ad vicina loca à Sarracenis, Bulgaris, Hunnis & cæteris circumvicinis barbaris tuenda, vix sibi vires suppeditarent: tùm etiam, quod Constantinopolitani Imperatores in fœdam Iconomachiæ hæresin lapsi maximas & plusquam hostiles cum Romano Pontifice, acriter ipsorum insaniæ adversante simultates gererent, tunc primò ad Francorum potentissimos Reges à Romanâ sede respici ceptum eorumque auxilium imploratum. Indè exsurgit agitatissima illa inter Politicos quæstio, An translatio Imperii ad Germanos in personâ Caroli M. facta sit, quod ex mente virorum gravitate maximè conspicuorum asserimus.

TH. II.

TH. II.

Indè auſpicium illud Petri de Andlo de Imper. Rom. l. 1. c. 14. p. 65. ubi DEUM præmiſsó conſilió Romanum Imperium per Germanos gubernandum definiiſſe fatetur, idque argumento baculi, qui tempore B. Petri in Germaniam deſtinatus eſſet. Baculus ſcil. ille erat, quo Maternus Valerii & Eucharii ſocius, cũ in itinere vitâ defunctus eſſet, iterum in vitam revocatus fertur. Quod miraculum, ubi populus Alſatiæ vidit, DEUM glorificavit, baptizataque de illô die copioſa hominum multitudo. Quam verò bonæ fidei ſit illa autoris relatio, dubium facere poſſent, illæ vel ſexcentæ fabulæ, quæ in hunc uſque diem in Papatu circumferuntur. Illi verò, quod divinâ proviſione Imperium ad Germanos pervenerit, veri aliquid ſubeſſe, non planè abnego. Romanos ſanè ſubodoratos reperio, hanc Imperii ſui ruinam à Germanis poſſe proficiſci, unde poſſibili ſtudiô quam longiſſimè eos à limitibus ſuis remotos voluerunt, tot legionibus hinc inde oppoſitis, ut Cæſaris aliquot loca expendens probè conſignavit Stephanus Pasquierius liur. 1. des recherches de la France chap. 10.

TH. III.

Ubi verò prodierimus in hunc campum, res jam nobis cum perpetuis iſtis Germanici nominis oſoribus & oſoribusque, qui Imperium Romanum ad Gallos translatum ſtatuunt, per perſonam Caroli Magni, poſtmodum à Gallis in Italos, à Sergio Pontifice in Berengarium, & denique ab Italis in Germanos per Othonem Saxoniæ Ducem, qui proſapiam Ducum Saxoniæ primus Imperatoriæ dignitati intulit. Fulvius Pacian. lib. 2. de probat. c. 35. n. 45. Et in Gallos quidem per perſonam Caroli Magni translationem factam Bodin. hiſtor. c. 7. Petr. Gregor. Tholoſan. l. 7. de Rep. c. 15. num. ult. & alii ſpecioſè magis quam verè, qui Carolum M. in Galliâ natum, linguâ quoque ac moribus & inſtitutis Gallorum unà cum majoribus ſuis educatum, contendunt. Inde quod in conventu Principum Fraxin. Orator Galliæ ap Thuan. lib. 10. dicere non erubuerit: *Cum Imperium in Regum Franciæ familiâ primò fundatum commune utriq; genti fuit. Deinde ad Germanos translatum eſt.*

TH. IV.

TH. IV.

Sed fallunt ac falluntur. Dum enim translationem Imperii in Carolum Magnum, simul in Germanos factam, inficiari non possunt. Ac mirum adeò cœcos esse Gallos, qui aliàs lynceos sibi videntur habere oculos, ut non videant discrimen semper inter Francos fuisse & Gallos, (quod nostro etiam idiomate Francken & Frantzosen differant.) Nec velim te moveat varians historicorum relatio, quorum alii Carolum in Thuringiâ, alii in arce Carlsbergâ, quæ arx est superioris Boariæ, alii Jopillæ, apud Leodium cunabula traxisse contendant. Nam utut de speciali nativitatis locô vetustas in dissensum abierit, Francum tamen ratio & autoritas multorum confirmat. Et qui præcipuæ fidei patriam ejus Ingelheimium oppidum statuunt, quod duobus distat milliaribus à Moguntiaco, in quo insigne palatium extruxit, cujus vestigia etiamnum spectantur. Cuspinian. in vit. Carol. Magn.

TH. V.

Quæ omnia eò feliciùs patescent, si Francorum originem & res quasdam gestas repetierimus donec ad Pipinum & Carolum M. deveniamus. Et quidem non transire animus ad aniles illas quorundam fabulas, qui Francos nobis ex Troja deducunt, & de sæpè mutatis horum sedibus atque extructâ tandem Sicambriâ meras ineptias comminiscuntur. Hieronym. Gebviler. ap. Goldast. part. XX. Imperial. Polit. Discurs. 11. fol. 879. Cujus sententiæ assentatores mirum irridentur ab Heinricô Bebeliô apud Goldast. Imperial. Politic. part. X. fol 569. & Beatô Rhenanô lib. 1. rer. Germanic. p. 50. Illud sanè mirandum, quod cùm Francorum nomen per tot annos magnam totius Europæ partem occuparit, eamque Germaniæ gentem fuisse constet, tamen eorum mentio neque apud Strabonem aut Plinium fiat, ac ne apud Cornel. Tacit. quidem, qui tamen Germanicarum omnium gentium situs & nomina mirâ diligentiâ prosecutus est. Inde Gregorius Turonensis Episcopus, qui de Francorum ortu octingentis abhinc annis scripsit, initio historiæ suæ testatur, se de Francorum ortu quæsivisse, nihil tamen certi comperisse, quamquam veterem quendam illorum historicum habuerit Sulpitium Alexan-

 drum,

drum, qui neque de primis illorum sedibus quicquam affirmarit. Si tamen autoribus fide dignis calculum nostrum addamus, ex eâ regione Francos primùm ortos animadvertimus, quæ inter Albim & Rhenum interjecta Oceano alluitur; juxta Chaucos forsan & Saxones, Hotomann. in FrancoGall. c.4.p.29. Rhenan. lib.1.rer.German.p.50. & 51. Et quidem satis constat, Francos in ora maritima sedes habuisse, locis admodum palustribus, reique nauticæ peritissimos & in bellô exercitatissimos fuisse. Cujus rei documentum ap. Claudianum extat, qui Stiliconi victorias gratulans ita scribit:

Ut jam trans fluvium non indignante Chayco
Pascat Belga pecus mediumq; ingressa per Albim
Gallica Francorum montes armenta pererrent.

De maritimâ regione Panegyricus Constantino M. dictus testimonio est, ubi Rhetor ita loquitur: *Quid loquar rursus intimas Franciæ nationes, non jam ab his locis, quæ olim Romani invaserant, sed à propriis ex origine sui sedibus, atq; ab ultimis Barbariæ littoribus avulsas, ut in desertis Galliæ regionibus collocatæ pacem Romani Imperii cultû juvarent & arma delectu.* Quod de Chaucorum vicinitate diximus, ea planissimè ex collatione locorum & utrarumque sedium descriptione perspicitur. Chaucor. quidem ap. Plin. lib.16. c.1. Francorum verò ap. Rhetorem illum Panegyristem, quæ cum multis expedita sint ab Hotoman. d l. crambem bis coctam hîc apponere supervacaneum arbitror. Saxones denuò in Francorum confiniô sitos, id argumento esse posset, quod sub Diocletiano, qui regnavit anno super ducentesimum sexagesimô octavô, Francis adjuncti limitem Romanum, Galliæ, Belgiæ & Armoricæ infestarint, cumque Gallias irrumpere in animô haberent per Francorum præcipuè litoralium provincias transiisse legantur. ap. Fabric. Orig Saxonic. lib. 1. ad an. 268. & 368. Quod nominis rationem attinet, probabile admodum venit, illud tempore Ciceronis incognitum adhuc fuisse, corruptumque locum istum: Redeo ad Theobassos, Svevos, Francones, qui lib.14. Epist. quas ad Atticum scripsit, extat Epist. ferè, cujus initium: Pridiè Iduum Fundis accepi tuas lite-

ras

tas cœnans, cum jam pridem Beatus Rhenanus in nativô volumine: Redeo ad Tebassos, Scacuas Frangones scriptum deprehenderit, ac scrupulosius rimatus animadverterit Germanam Ciceronis lectionem hanc esse: Redeo ad Betasios, Atuas, Vangiones. Rhenan. rer. Germanic. lib. 2. p. 186. Ridiculi sanè illi sunt, qui Franconem quendam Hectoris filium in Celtas commigrâsse, & de nomine suo condidisse ac nuncupâsse Francos autumant, Ut enim concedamus nominis istius Hectori filium, indè tamen Francos denominatos nullâ ratione evincitur. Magis veri videntur, qui vel tenuem Francorum, obscuramque gentem fuisse tradunt, à quâ tamen tantarum rerum gerendarum initia nata. (quemadmodum in Svittis tenuissimô Helvetiorum pagô usu venit, à quo cum recuperandæ libertatis auctores orti primum fuissent, Svicerorum nomen in Helvetios omnes propagatum est.) vel quod verisimilius videtur, fictam ex re & occasione appellationem fuisse cum iis, qui se libertatis recuperandæ Principes profiterentur, atque auctores, Francos se nominâssent, quâ voce liberos & servitutis expertes ap. Germanos intelligi, satis inter eruditos constat. Indè quibusdam Francorum nomen ex vocabulo Frey und Ancke coaluit, ut liberos homines sive liberos rusticos (Vocabulum enim Ancke vetere Germanicâ linguâ hanc notationem habet, & adhuc à rusticis quantumvis ita usurpatur) significaret: aliis à solo vocabulo Frey/quod illi terminatione suâ Junck extenderunt, & pronunciârunt Freyjnck unde juxta consuetudinem ipsorum Diphtongo ai additá syncope, mansit nomen Francke quod pluribus monet Franciſchinus Curtius JC. in tractatu de Feudis, & Baldus quoque ita interpretatur. Inde & illam villam Francham Sabaudiæ civitatem denominatam existimant; ut significet villam liberam, fortasse, quod ab initio villa fuerit. vid. Reinecc. tom. III. de Trojanorum Imper. & regn. p. 28. it. de Misenor. Orig. p. 206. & 213 Hotoman. in Francogall. cap. 5. Valeat ergò omen, ut Franci dicantur, qui libertatem sibi honestam sub Regum auctoritate tenuerunt. De eorum rebus præclarè gestis vid. Rhenan. lib. 1. & 2. Hotoman. in Francogall. c. 5. & 6. Heinricum Bebelium ap. Goldast. Imperial. Politic. part. X, p. 569. & 570.

TH. VI.

Primus eorum Rex Pharemundus legitur, qui quædam loca ad Mosam occupavit. Clodio vel Clogio filius primus Germaniam secundam transitô Rhenô; Meroveus Treviros & Belgas, Childericus agrum Moguntiacum, Vangionum, Nemetum Argentoratensium Francorum ditioni adjecit. Clodoveus Helvetios & Svevos post pugnam ad Tolbiacum, & quicquid Romani in Galliâ tenuerant, adjunxit. Porrò Luitmarus & Clodoveus Clodovei Regis filii, Burgundionum potiti; Theodericus horum frater, Noricam suæ potestatis faciens Imperium Francorum augebant. Hæc est summa gestorum à Pharemundo & successoribus, quos historici Merovingos à Merovæo, appellant, quorum stirps anno 750. desiit, quo Childericus Rex ultimus Merovingorum à Regni Proceribus ob segnitiem monasteriô mancipatus successorem Pipinum habuit.

TH. VII.

Cùm enim Pipinus legitimus Martelli filius, ad Majordomatum seu præfecturam Prætorio, testamento patris evectus, indignatus, se oneribus Imperii gravato, dignitatem regiam penes eos esse, qui otiô & luxuriâ senescerent, negat ad regni Proceres, pareri Childerico oportere, qui abjectâ omni Reipubl. curâ vir quâvis muliere corruptior degeret. At quia res ardua erat, legitimum regni hæredem soliô dejicere, cui jurisjurandi religione devincti essent, decrevit Pipinus, ad Romanum Pontificem id deferre, missô Episcopô Burchardô Herbipolensi & Folrado Capellano suo, qui Pipini majorumque res domi forisque gestas ad cœlum laudibus ferendo, Childericum quantum possent deprimerent. Hi non difficulter ut Pontifex obsequio subditos solveret effecisse feruntur. Otto Frisingens. lib. 5. c. 21. Godfridus Viterbiensis Chronic.

TH. VIII.

Haud infrequens hic Imperia deferendi modus. Arbactus, quod Sardanapalum inter scortorum greges, purpuram colonentem, & muliebri habitu, cum mollitie corporis & oculorum lasciviâ omnes fœminas anteiret, pensa inter virgines partientem

invenisset,

invenisset, Indignatus, tali fœminæ tantùm virorum subjectum tractantique lanam, ferrum & arma portantes parere progressus ad socios, negat se ei parere posse, qui se fœminam malit, quàm virum. Factâ igitur conjuratione bellum Sardanapalo intulerunt eôque victô Arbacto summam Imperii detulerunt. Etiam Pipinus effæminatam Regum mollitiem detestatus ad fasces Imperii adspiravit, præcipuè cum jam aliquot annis omnis auctoritas & summa rerum, penes præfectum regiæ domus resideret, ab eô tempore, quo Reges voluptatibus dediti nullam Reipublicæ curam susciperent Annal. Francici ad annum Christi 751. vid. Hotoman. in Francogall. c.12. Goldast. Imperial. Polit. part. XX, disc. 2.fol.841. Fabric. Origo. Saxonic. lib.1. fol. 75.

TH. IX.

Alio nomine hi dicuntur Comites Palatii, quorum officii non minima pars erat ut jus per pagos redderent antiquo nomine Graffen. In Republ. jam tum veterum Germanorum præcipuus Comitum splendor ac dignitas. Quod Tacit: nobis de morib. Germanor. exhibet, ubi magnam Comitum æmulationem testatur, quibus primus apud Principem suum locus; & Principum, cui plurimi & acerrimi Comites: nec solùm in suâ gente cuique, sed apud finitimas quoque civitates id nomen, eam gloriam esse, si numerô ac virtute comitatus emineat. Tac. d. l. p. m. 407. Horum in pace decus in bellô præsidium. Cùm enim in aciem ventum turpe erat Principi virtute vinci & turpe comitatui virtutem Principis non adæquare. Principes pro victoriâ pugnabant Comites pro Principe. Tac. d. l. Romanis Comites primitus dicebantur, qui non solum Principem suum sectabantur, & ad latus ei erant: Spartian: in Hadrianô: *Cùm judicaret in consiliô habuit, non amicos solùm & comites secū, sed & JCtos.* Hinc tota Principis familia sacer comitatus in Codice sæpè appellatur. vid. Cujac. 1, observat. 25. Lazium lib. 2. de Rep. Rom. c.11. Sed etiam Legatos Principis Magistratus & Judices provinciales comitabantur. ut Papinian. l.4. ff. de offic. Assessor. l. 1. §. sed et si ff. de variis & extraordin. cognition. docet. Ex horum ordine cùm plerunque desumerentur, qui ad Provincias regendas admittebantur, factum est, ut Rectores illi dein Comites appella-

 rentur,

rentur, & Comites non jam Principis à quô abierant, sed provinciæ, quam ipsi cum comitivâ dignitate gubernarent. Insignis locus est apud Zosymum lib.5. ubi inquit: Is verò *Comitem Orientis fecit, cujus Magistratus ea potestas est, ut qui eum gerit, omnibus provincias Orientis administrantibus præsit, & quæcunq; non aguntur, uti par erat, corrigat.* Palatinorum autem nomen non tantum Comites, sed etiam inferiorum ordinum ministros aulicos designabat. Cùm verò Franci Gothi & Longobardi æmulatione Romani splendoris, priscam etiam aulæ dignitatum pompam retinere studerent, dignitatem quoque Comitivam recepêre, quod de Gothis in Italiâ ex Cassiodoro lib.7. variar.c.5. liquet. Quod Francos attinet, his, qui officium hoc gerebat, domesticus prius appellatus est, ut patet ex Venantii Fortunati carmine ad Condam domesticum. Et idem erat qui Majordomus, qui & Comes domus Regiæ & Comes Palatii Principis appellatur, teste Aimonio, & aliis. Tanta autem illorum Regiorum potentia, cæpit tempore Clotharii II. circiter annum DLXXXVIII. i.e. circiter CXXX. annis post regnum Francogalliæ constitutum. Quod ex eô, quem Venericus aliquoties profert, historicô, cognoscere licet. Sunt tamen duo alii historici, sed dubito an tantæ autoritatis, Sigebertus & Trithemius, qui tantæ potentiæ initium ad Clotharii III. regnum referunt, cujus Magister Palatii Ebroinus appellatur, homo crudelitate & nequitiâ insignis. In aulâ Orientali, quæ plerumque dignitatum nomina communia cum Francis habuit, *μεγαδομέστικος* appellabatur. vid. Meurs glossar. Græc. barbar. De Majoredomus extat fragmentum Pythei in annal. Francic. videaturq; etiam Hotoman. in Francogall. c.12.

TH. X.

His itaque incunabulis initiata Caroli auctoritas, multum capiebat incrementi, quod eventus bellici felicibus ausis respondere cepissent. Potiebatur tùm temporis summâ rerum Desiderius ultimus Longobardorum in Italiâ Rex, qui postulaturus ab Hadrianô erat, ut Carlomanni filios, qui apud se erant, inungeret. Cujus voti cùm compos fieri desperâsset, extorquere vi cupiens,

piens, quod ultrò sibi negatum iri videbat, nondum duobus mensibus Hadriani Pontificatus exactis in Exarchatum irrupit ac primò adventu Ferrariam, Comaclum & Faventiam occupavit & Ravennam se bellum transferre ostendit. Quibus perterritus Hadrianus cùm per legatos nihil obtinere posset, Legatum maritimô itinere ad evitandas terrestres Desiderii insidias in Franciam misit, Carolum oratum, ut avi Patrisque exemplô opem affectis Ecclesiæ rebus afferret. Quibus Carolus summâ mentis alacritate (ut enim quidam auctor de illô habet, erat omnibus virtutibus, quæ magno Regi convenirent, ornatus, sed præcipuè catholicâ pietate, quæ maxima quoque patris laus extiterat, insignitus) reposuit, se ipsius studio lubenter obsecuturum, ac Desiderium, ut sive auctoritate, sive armis, à vexatione Romanæ Ecclesiæ absterreret, connixurum: Apud se, cum beneficiorum ab Ecclesiâ acceptorum memoriam, tùm Sedis Apostolicæ majestatem & esse, & in perpetuum fore sanctissimam. Hinc frustrà aliquoties per Legatos tentatô Desideriô Carolus exercitum ad saltus promovit ac conjunctis ibi castris, cùm eos à Desideriô teneri videret, expeditam militum cohortem per montes avios circumductam à tergô Desiderium invadere imperavit. Quô prosperè factô Desiderius ad aversas Alpes castra metatus adeò extimuit, ut per noctem relictis tentoriis ac supellectile fugam arripuerit. Quod sentiens Carolus cum totô exercitu Alpes subitò superavit, ac multis interfectis eò redegit Desiderium, ut Papiæ muris se includeret. Indè cùm Romam proficisceretur, effusis obviam, quâcunque incedebat, civitatibus, ipsum lætis animis liberatorem servatoremque Italiæ salutantibus, ingenti honore ab Hadrianô exceptus est, vid. uberiorem hâc de re Sigonium de regn. Ital. sub ann. 772. & 773.

TH. XI.

Indè liquet primam promovendi Caroli in Imperatorem causam fuisse, quod jure belli aditum sibi ad Imperium paraverit. Testis hujus rei gravissimus Fridericus I. Imperator ap. Melchior. Goldast. tom. 3. Constit. Imperial. p. 333. Quæ enim ex hostibus capimus Jure gentium statim nostra fiunt. juxta §. 17. Instit. de divison. rer. & elegans l. hostes 24. ff. de captiv. & postlimin. re-

vers.

verſ. eſt hanc in rem Hugo Grotius de Jur. B. & P. lib. 3. cap. 6. Ac quidem ſi accuratius paululum hiſtoriarum inſpiciamus monumenta ſanè præcipua regna inter armorum ſtrepitus ſua duxiſſe incunabula confitebimur. Nimrodum fortem venatorem extitiſſe ac potentia homines ſubegiſſe ſacra loquitur pagina. Geneſ. 10. 1. Paralip. 5 Qui initia regni Aſſyriaci Nino aſcribunt, primum bella intuliſſe finitimis & rudes adhuc ad reſiſtendum populos terminos usque Lybiæ perdomuiſſe memorant. Juſtin. lib. 1. Quâ ratione Arbactus ad Medos ſummam Imperii tranſtulerit, ſuprà expeditum memini; Sanè Cyrus ut aditum ſibi ad regnum pararet, exercitum apud Perſas, ad quos Parentes timens transfugerat, moliebatur, cum inſtructô convivió eos demulſiſſet, quaſi his epulis ſimilem acturi eſſent vitam, ſi ſequerentur, quoad Medis pareant, heſterno labori, quô ſylvam exciderant. Juſtin. lib. 1. Quomodò Alexander Monarchiam à Perſis transtulerit, id neminem ignorare confido, niſi qui Curtii ſcripta ne de limine quidem ſalutaverit. Ex infinitis illis teſtimoniis quæ in laudem Romanorum extant, depromam hâc vice illud Flori, quod ſub ipsô libelli frontiſpició extat, *populus Romanus, ita latè arma circumtulit, ut qui res illius legunt, non unius populi, ſed generis humani facta diſcant*. Flor. lib. 1. in proœm. Et qui neſcit, quæ decertationes Romulo primo Romani nominis conditori cum Numitore, Cæninenſibus & Sabinis fuerint, eum ad Livii lib. 1. c. 5. 10. & 11. relegandum puto, & ad auſpicium illud, quo Romulo in Palatino duodecim vultures offerebantur, qui bellatricem fore urbem Romam haut incerto divinabant. Flor. lib. 1. c. 1. Adeò praecipuas, ſi Monarchias inſpiciamus, ab armis ferè ſuam traxiſſe originem confiteri neceſſum habemus.

TH. XII.

Alter titulus, quô ſibi vindicabat Imperium Carolus, erat Electio, quod ſuffragiis populi Imperator decerneretur, & à Pontifice coronâ redimeretur. Anno enim 800. ipſis natalibus Chriſti in baſilicâ D. Petri præſentibus præter Pontificem Epiſcopis ac Clericis quamplurimis, civibusque Romanis univerſis Pontifex Carolum

Carolum coronauit, acclamantibus civibus universis: *Carolo Piissimo, Augusto, Deo coronato, Magno, Pacifico Imperatori vita & victoria.* Hôc ipsô factô populus Romanus per Pontificem tamquam per primarium civem, Carolum Imperatorem coronavit, atque adeò non nudum nomen & titulum, sed jura simul, quæ non multò ante supererant Cæsaribus in Occidente, in Carolum transtulit, fatente ipsô Bellarminô lib. 1. de translat. Imper. c. 7. adde Otton. Frising. lib. 5. c. 31.

TH. XIII.

Inde tot scriptis Politicorum excussa, ac sæpius armis ventitata quæstio: Annon in Pontificis manu situm regna mutare, Reges de gradu dejicere evehereque? Affirmativam tenet Bellarminus, quem ut eò melius intelligamus, præmittendum arbitror, quidnam nomine translationis intelligat. Sic enim nonnunquam loquitur: *verè translationem esse factam auctoritate summi Pontificis in argum. lib.* alibi ait: *Non esse de possessione provinciarum Imperialium quæstionem, sed de titulo, de jure, de nomine, de dignitate Augustali totam controversiam esse lib 1. c. 11. in fin.* Hoc igitur voluit rem eôdem modô gestam, quo Pius IV. Florentinum Magnum Hetruriæ Ducem creavit. Sed non ferè digna hæc tanti viri fastigio! Non alienum à nostrô fuerit hanc rem paulò prolixius persequi & ejus quasi incunabula repetere. Pipinus cùm ad summam Imperii soanniteretur, quod res ardua esset, legitimum regni hæredem soliô dejicere, cui jurisjurandi religione devincti essent, decrevit ad Episcopum Romanum Zachariam referre, missô Episcopô Burchardô Herbipolensi, qui Pipini majorumque res ad cœlum ferendo Childericum quantum posset deprimeret. Hic non difficulter ut Pontifex obsequiô subditos solveret, effecisse fertur. Hæc est origo audaciæ Pontificum, quâ insanô ausû sui Imperii fines excedere ac quicquid est in terris regiminis ad se trahere aliquandò conati sunt, teste Ottone Frisingensi lib. 5. c. 23. Godfrido Viterbiensi Chron. part. 17. p. 440. Sed neque in Pipino neque in Carolô pontificii inveniunt, quod se quidem invenisse

D putant.

putant. Quantum enim ad Pipinum nondum evictam, quod allegati historici tradunt. 1. Pontificem Zachariam pro auctoritate & potestate suâ sive opinione alicujus potestatis id sibi arrogâsse. 2. Utut id fecisset ideò jus successoribus Pontificis quæsitum esse. Quod primum attinet, illud itidem facti continet quæstionem, quæ ex circumstantiis eruenda. Sanè Ado Viennensis sub anno 727. hâc de re ita scribit: *Missi Legati ad Zachariam ut interrogarent eum, si ita manere deberent Reges Francorum, cùm penè nullius potestatis essent, jam solò regiò nomine contenti. Quibus responsum dedit Regem potiùs illum debere vocari, qui Republic. regeret.* Videtur itaque potius consilium Pontificis, nullam parendi potestatem super Reges secum ferens. Aliud itaque est Regem exigere aliumq; creare, aliud suadere. Ideoque scriptores, qui Pontificem id auctoritate suâ fecisse ajunt, non auctoritatem jubendi sed suadendi intelligunt, prout jam olim Ludolphus de Babenberg tractat. de Jur. Regn. c. 12. id ostendit. Cui accedit Venericus quidam Vercellensis, qui profert testimonium historici veteris, qui de Francorum gestis scripserat, quo tota illa narratio mendacii arguitur, dilucidèq; affirmatur, & Childericum & Pipinum usitatò Francorum more veterumque instituto, illum abjectum hunc verò in illius locum subvectum fuisse. Quod Caroli electionem attinet, hâc de, ut favoris causas procul habeamus, quod res est [illegible]mus. Audiendus verò priori locò Sigonius, illum electionis actum his penè verbis delineans: *Perducto ex cubiculò in templum atq; ad aram maximam Rege, ArchiEpiscopus post solennes aliquas precationes effusas, populum alloquutus interrogavit, num se tali Regi subjicere atq; illius mandatis & jussionibus constanti fide vellet obtemperare? ubi verò se velle responderat, Regis caput pectus atq; ipsas brachiorum compages oleò sanctò unxit, DEUM orans, ut & in bellò gerendò & in sobole procreandâ votis ejus annueret, ornatò indè ense, armillis, palliò, annulò & sceptrò coronam imposuit, & per chorum ductum in soliò collocavit,* Sigon. de regn. Ital. lib. 4. fol. 89. Scilicet cum urbis Romæ pri-

mariu.

marius civis Pontifex audiret, neque unius Papæ, neque unius populi in potestate fuit Cæsaris creatio, sed ad utrumque simul hoc jus pertinuit. Portenta enim illa Hildebrandina de Papali omnipotentia nondum audiverat orbis. Inde nemini per somnium tum in mentem venire potuit, Papam in hôc negotiô gerere sese alium, quàm primarium civem Romanum & possessorem patrimonii, quod vocant, Petrini. Potius ipse Pontifex se Caroli potestati subjiciebat, dùm per suos Legatos claves confessionis S. Petri & vexillum Romanæ urbis cum muneribus Regi misit, rogavitque ut aliquem de suis optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem atque subjectionem per sacramenta firmaret, quod ex Reginone, Sigfrido Presbytero ad ann. 801. & annalib. Francic. colligi potest. ad an. 796. Quibus Sigonius accedit, à quô id accepimus. *quod universô populô decretum, ut Carolus Patricius Romanus esset per singulas provincias, ArchiEpiscopos & Episcopos instrueret, ita ut nisi ab eô laudarentur & instituerentur, à nemine sacrarentur, & ut Pontificem eligeret, sedemq; Apostolicam ordinaret.* Sigon. de regn. Ital. lib. 4. sub ann. 773. Habetur id quoque decretum apud Goldast. Constit. Imperial. tom. . fol. 16. & 17. Plura hâc de re qui discupit adeat Goldast. Polit. Imperial. part. IX. c. 3. 4. & 5. Arum. Jur. Public. tom. 1. discurs. 3. aliosve.

TH. XIV.

Ad mores eligendi in Germanorum Imperiô solitos nunc devegio. Horum Reges suffragiis creari solitos Tac. de morib. German. testatur. *Reges inquit ex nobilitate, Duces ex virtute sumunt.* Quod institutum etiam Dani, Suevi & Poloni retinent, ut Reges quidem in Conciliô eligant, filii tamen prærogativam habeant, & ut Tac. prodidit, cæteris præferantur. Nam ut Plutarchus in Sylla luculenter docet: *Quemadmodum venatores, non quod ex generosô cane natum est, sed canem ipsum generosum quærunt; equites non quod ex equô generosissimô natum est, sed equum ipsum expetunt: eôdem modô qui Rempubl: constituunt, magnô errore ducuntur, si, quis Princeps sibi*

agnaturus sit potius, quàm qualem habituri sint, exquirant. Atque hanc Francorum quoque sapientiam fuisse constat. Eorum enim regimen tribus Ordinibus tanquam basibus innixum fuit, Regis, Procerum, & Magistratuum urbicorum Reges liberâ electione ex nobilitate legebantur. Si verò Regis defuncti esset hæres, cui ex dignitate Parentis credi posset, non temerè alium quærebant, Fuit hic Regni status is, quem Plato, Aristoteles, Polybius optimum judicârunt, ex regali optimarum, & populari mixtus. Hinc constituerunt, ut quotannis publicum totius regni concilium Calendis Maji haberetur, quo de summis quibusque Reipublicæ negotiis communi omnium ordinum consiliô ageretur. Loquitur id testamentum Caroli M. apud Joannem Nauclerum & Heinr. Mutium editum & in annal. Francic. p. 283. *Quod si talis filius cuilibet istorum trium fratrum natus fuerit, quem populus eligere velit, ut patri suo succedat in regni hæreditate, volumus ut hoc consentiant patrui ipsius pueri, & regnare permittant filium fratris sui in portione regni paterni.* Nec ineptè jus eligendi Francorum confirmat historia electionis Caroli Calvi. Mortuô enim Lothariô Rege Lotharingiæ Imperatoris filio ann. 869. cum regnum Jure successionis fratri Ludovico Imperatori deberetur, Proceres Ecclesiastici & seculares nihilominus Carolum Calvum elegerunt, Pontifice frustrà excommunicationem minitante Baronius ad ann. 870.

TH. XV.

Illud verò inprimis hic controversiam recipit, si relictâ stirpe regiâ alius eligatur, quidnam ei ad dignitatem tuendam relinquendum sit patrimonii. 2. Cuinam hæreditas regni sit deferenda, cùm æqualiter in bona sibi relicta succedere debere videantur, qui æqualis à naturâ conditionis. Et quod primum attinet, intelligendum est, eorum, quæ in Regis ditione sunt, quatuor genera à JCtis numerari, *nimirum res Cæsaris, res fisci, res publicas & res privatas.* Ac res quidem Cæsaris eæ dicuntur, quæ in privato cujusque Principis patrimoniô sunt: non quatenus est Princeps, sed quatenus est Ludovicus, aut Lotharius aut

Dagobertus.

Dagobertus. Res verò fisci dicuntur, quæ populi voluntate Regi partim ad tuendam dignitatem suam, partim ad usus Reipubl. repentinos tributæ sunt. Publicas verò res JCti appellant, quæ in ipsius regni aut Reipubl. dominio positæ sunt, privatas verò quæ in patrisfamilias cujusque fortunis ac bonis numerantur. Ergò Rege patre demortuo, si ad extraneum regni hæreditas deferatur, res, quæ propriæ Regis patrimoniales fuerunt, hæreditatis jure liberis ipsius relinquuntur: Quæ verò regni & Reipublicæ ipsius sunt, ad quem respubl. defertur, ad eum quoque deferendæ necessariò sunt, quamquam tuendæ liberorum dignitatis causâ ratio postulet, ut Ducatus istis & Comitatus assignentur, quemadmodum Otto Frisingensis Chron. 5. c 9. & Godfridus Viterbiensis scribunt *Dagobertum Lotharii Filium Regem constitutum fratri Heriberto urbes & pagos aliquot prope Ligerim fruendos dedisse, quod idem* Aimonius lib. 4. c. 17. commemorans ita scribit: *Pactum cum ipso pepigit, ut privato contentus habitu nihil amplius de paterno speraret regno, it c. 61. de Pipino scribens, Grifonem fratrem inquit more Ducum XII comitatibus donavit.* Quantum ad alteram quæstionem æquitas & iniquitas non semper pendet à mensurâ naturali, sed civili, cujus utilitatem semper in animo habeat, qui legem fundamentalem ferre cogitat. Nam ut est ap. Justin. lib. 21. *firmius est futurum regnum, si penes unum remanserit, quàm si portionibus inter plures fratres dividatur.* Quod aliter tamen se in successione regni Francici habuit. Nam memoriæ proditum est, antiquis temporibus persæpè Franciæ regnum Rege mortuô non uni filio à populo attributum, sed in viriles partes divisum atque assignatum fuisse. Servata sunt hæcusque ad tempora Dagoberti, de quo ita Godfridus Viterb: *Dagobertus Clotarii filius solus in Franciâ regnabat, A Clodovæo enim usq; ad id tempus regnum Francorum inter filios filiorumq; filios multifariè divisum, tumultuosè regnatum est.* Dagobertus itaque unicus Rex Francorum leges Bavaris dedit.

TH. XVI.

Electum ac confirmatum Regem Jurisjurandi religione astrinxerunt, ad regnandum justè. Formulam Jurisjurandi Bodin. lib. 1. de republ. c. 6. exhibet, quæ postea anno 858. multum fuit aucta, ut videre est in annal. Pythei. Carolo Calvo certa describi ceperunt capita, ad quæ obligatus teneretur, quæ videri possunt in C. leg. antiquar. Lindenbrogii p 1798. Id denuò admonendi sumus à Caroli M. familiâ successionem in Imperio interdum magis hæreditariam fuisse, ita tamen ut si fortè deficerent descendentes, vel aliâ gravi de causâ, electio ad designandum successorem in suppetias veniret. Quidam etiam armis ad Imperium ad se trahere nitebantur, sique id ausi coronari dein, ac Principum Imperii consensu ac suffragio confirmari gestiebant. Nihil enim magis odium subditorum concinnat, quam illa violenta Imperii adeptio; quæ omnem publici commodi intentionem cessare facit. Indè Tiberius famæ dare studebat, ut electus potius vocatusque quam per uxorium ambitum & senili adoptione irrepsisse videretur, Tac. 1. annal.

TH. XVII.

In Berengario se Germanorum iterum jugo subducebant Itali, quod numquid jure an injuriâ factum sit, disputare non est mei instituti, illud tantùm addo, in Ottone 1. restitutum Germanis, quod ad temporis intercapedinem suspensum fuerat. Fuit hic Otho ille Magnus, cujus res præclarè gestæ à scriptoribus memorantur, tum imprimis, quod primus decus Romani Imperii ad domum Saxonicam traduxerit. Id quâ ratione factum paucis jam expediemus. Exciderat Berengerius nuptiis Adeleidæ, quas anxiè ambibat, quod Papiensis regiæ potiundæ spes exindè afflaret. Quâ de causâ irâ inflatus, vi armatâ sibi extorquendum ratus, quod bonâ gratiâ obtinere non potuisset. Itaq; exercitu Papiam adducto urbem haut magno certamine expugnavit, ac reginam in potestatem adductam in castro Gardæ ad lacum Benacum diligenti custodiæ tradidit. Adeleida magnum in timorem adducta: Martini sacerdotis sui ope ex arce profugit, atque illô unô cum pedissequâ comitante naviculam nacta silentiô noctis ad sylvam quandam accessit, dein in agrum Regiensem profecta

se

& Adelardo Episcopo commendavit, qui loco se ad custodiendam eam munito carcere excusans, auctor ei fuit, ut ad avunculum suum Athonem, se conferret, qui arcem Canussii satis firmam obtineret, & Lotharii fidelis quondam amicus fuisset. Quâ re compertâ, Berengarius, quod Atho eam exhibere renuisset, conscriptis copiis Canussium obsidione cinxit. His angustiis coactus Atho Othonis auxilium implorat, qui oblatam sibi occasionem videns, obsidionem Canussii dissolvit, ac sine morâ Adeleidam sibi uxorem jungit. Fuit hic primus Othonis ad Imperium gradus. Archiepiscopus dein Mediolanensis Principum Episcoporumque de more conciliô vocatô, ex omnium, qui frequenter convenerant sententiâ regnum Berengario atque Adelberto abrogatum ad Othonem detulit, ipsumque in æde D. Ambrosii urbanâ, magnô apparatu ceremoniâque inunxit, consecratumque coronâ condecoravit, solenni sacramento præsentibus omnibus alligatum, se patrimonium suum pro salute ac dignitate Italiæ profusurum, neque ejus rei gratiâ labori periculoque ulli parsurum. Indè Romam venit cum magnô exercitu, diu desideratus & cum plausû honorificô exceptus. Pervenerat eo fama nominis ejus illustris, sed eam longè ipsius præsentia superavit, cum & sapientiâ & gravitate præstaret, & se omnibus liberalem præberet atque beneficum. A Pontifice tandem Sellæ Augustali impositus aureâque de more coronâ insignitus est, universo populo cleroque de more certatim faustis vocibus, *Augusto, Imperatoriq́, felicitatem ac victoriam* acclamante. Sigon. lib. 6. de regn. Ital. Fabric. Orig. Saxonic. lib. 2.

TH. XVIII.

Quo ipso Othonem Imperium accepisse in urbem Romam Papam, ac Patrimonium Romanæ Ecclesiæ planè asserimus. Et quidem summum Imperium urbis Romæ Ottoni concessum fuisse præter Imperatorium nomen, Juramentum etiam confirmat, quo sese Ottoni obstrinxerunt cives Romani, & quidem tribus vicibus. Disertè Luitprandus, vel si quis alius auctor eorum est, quæ à capite VI. usque historiæ Luitprandi sunt assuta, quem tamen rebus illis omnibus interfuisse constat, de Ottone jam Cæsare

sare uncto: *Jusjurandum verò ab eodem Papâ Johanne suprà pretiosum corpus Petri, atq; ab omnibus civitatis Proceribus, se nunquam Berengario atq; Adelberto auxiliaturos accepit.* Idem: *Cives Imperatorem cum suis omnibus in urbem suscipiunt, fidelitatemq; promittunt: hæc addentes atq; firmiter jurantes, nunquam se Papam electuros aut ordinaturos præter consensum atq; electionem Domini Imperatoris Ottonis Cæsaris Augusti filiiq; ipsius Regis Othonis.* Etiam tertiò Romanos illos cives fidelitatem jurasse Ottoni post tumultum in urbe excitatum scribit Regino: *Ottonem porrò anno IↃCCCCLXII. consules Romanos Italiâ expulisse, Tribunos suspendiò necâsse, Præfectum Urbis nudatum asino imposuisse, & utre indutum ac circumductum virgis deniq; cæsum in carcerem conjecisse,* etiam Baronius memorat. Quod verò de potestate in Pontificem concessa Ottoni diximus eam apertè lex Regia loquitur, (quo nomine à Goldasto illud decretum venit) quâ à Papâ, Senatu populoque Romano jus omne & potestas Ottoni I. conferebatur, cujus non pœniteat quædam verba hic adjicere: "Nos Leo servus servorum DEI, Episcopus, ad idem exemplum beati Hadriani, cum cunctô similiter Clero, & universô populô Romanô omnibusque ordinibus hujus almæ urbis, sicut in suis scripturis apparet, constituimus, cõfirmamus & corroboramus, & per nostram Apostolicam auctoritatem concedimus atque largimur, Domino Othoni primo, Augusto, Teutonicorum Regi providentissimo, spirituali in Christo filio nostro, ejusque successoribus hujus regni Italiæ in perpetuum, tàm sibi eligendi successorem, quàm summæ sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi, ac per hoc ArchiEpiscopos & Episcopos &c. ap. Goldast. Imperial. Constit. tom. 1. fol. 221. & 222. Sigon. lib. 7. de regn. Ital. p. 169. Denuò quæ de patrimoniô S. Petri, ut vocant, diximus, iis argumento est aliud quoddam senatusconsultum, ex quo præcipuè ad rem nostram faciunt, depromemus: Quæcunque (verba sunt istius decreti) Dominus Karolus Rex Francorum & Longobardorum, & Patricius Romanus, nec non Pipinus

pater

pater ejus, de Regalibus regni Italiæ tribuerunt in sanctâ Roma- "
nâ Ecclesiâ Beato Petro Apostolo sive per instrumenta, quæ scri- "
pta fuerunt per Etherium Notarium suum, sive per sacram, "
sive donationes, seu per alios modos sibi obvenerunt â Justinia- "
nô Imperatore, & Aripertô Rege: hæc omnia largimur, & diffi- "
nimus vobis Othoni Imperatori & Alheidæ conjugi regnique "
consorti, vestrisque utriusque successoribus regni Italiæ in per- "
petuum, præsentibus sacrosanctis Evangeliis & patrociniis plu- "
rimorum Sanctorum. Goldast. d.l.p.223. Ita ut exindè, ea quæ "
voluimus, satis probata dedisse planè nobis persuadeamus.

TH. XIX.

In eo nescio annon aliquid peccâsse videantur Ottones quod liberalitatis studio nimium concitati, vel quâcunque tandem ratione moti nimiis privilegiis aliquot multas civitates dotarint, & quas suo Imperio exemerint Episcoporum ditioni addiderint. Sub Imperatoribus Francicis appellatione civitatis veniebat universitas celebrior & auctior loci muris muniti, in quâ Episcopus & Comes habuerunt sedem, & Comes nomine Regis jure Magistratus Jurisdictionem exercuit. vid. Lymnæ. Jur. publ. tom 3. lib.7.c.1.n.13. Quando verò initium libertatis ab Ottonibus cœpit, differentia etiam civitatum Imperialium paulatim subrepsit, quod quædam civitates ab Imperatore, ejusque officiariorum Imperiô prorsus exemptæ fuêre: quædam aliorum Principum Jurisdictione & obedientiâ liberatæ, imperiô additæ, sive vi, sive pretio, sive certis conditionibus & pactis. Primi generis civitates, quæ Jurisdictione Principum ac Comitum in Comitiis universalibus exemptæ & consensu statuum liberæ factæ, illæ ex Imperii civitatibus factæ sunt liberæ Imperiales. quâ prærogativâ dignitatis primò Imperii civitates ad *R*henum positæ, nempè illæ, quæ jam sub Francorum Imperatoribus formam ac jura civitatum habuerunt, ex quo postmodum Comitum ac Ducum Jurisdictione ac legibus solutæ essent. Quodammodò hanc rem nobis explicatam dedit Sigonius in vit. Otton. I. his penè verbis: *Libertatem, inquit, in eo posuit* (subintellige Ottonem) *ut leges, consuetudines, jurisdictionem, magistratus, vectigalia*

sui fermè juris atq; arbitrii haberent, ita tamen ut sacramentum Regibus dicerent. Quocirca alios sibi præfectos Rex, alios sibi civitates ipsæ constituerunt. Ac quos quidem Rex ad jura reddenda & populos in fide continendos in provinciis collocavit, ij Missi, sive nuncii, sive Legati Imperatoris vocati. Quos verò populi ad regendam civitatem & jura moderanda posthac creârunt, ij consules duo aut plures fuerunt ex antiquâ Romanâ Republ. sumpti, qui quotannis ex singulis civitatibus creati, aut apud Episcopum aut apud nuntium Regis jurârunt. Sigon. lib 7. de Regn. Ital. p. m. 175. quibus adde constitutionem Ottonis II. de confirmandis privilegiis Maydeburgensium de anno 978. ap. Goldast. tom. 1. Constitut. Imperial. p. 225. Servitus verò quarundam in eo posita, ut antiqua tributa foderum, paratam, mansionaticum penderent. Erat autem foderum pecunia, quæ Caroli instituto, annonæ nomine, venienti in Italiam coronæ causâ Regi, persolvebatur: parata, quæ in vias pontesq; fluminum, quà transiturus Rex erat, reficiendos: mansionaticum verò, quod in statum ejus impendebatur. qualia tamen, cum non tam ad rem faciant aliàs loco servanda. vid. Sigon. histor. Bononiens. lib. 2. p. 36. & totidem fermè verbis lib. 7. de regn. Ital. p. 175.

TH. XX.

Ad Ottonis III. tempora plerique eruditissimorum virorum, nescio quâ caligine involuti, originem Septemvirorum referunt, cui quid veri subsit, nunc videndum nobis. Memorant id factum occasione alicujus Crescentii, quem Otto Româ expulerat, & debitô suppliciô affecerat. Stimulatus indè Crescentius dominandi libidine, Gregorium Pontificem exegit, ac Johannem in ejus locum surrogavit. Quæ res adeò malè habebat Ottonem ut exercitu Romam adductô, urbem obsidione cinxerit, Crescentemque captum tanquam majestatis reum cum duodecim aliis fœdissimô suppliciô affecerit. Cùm cives omnium rerum, qualis in obsessis plerunque urbibus solet inopiâ conflictati, iram in Joannem avertissent, cumque captum erutis oculis atque auribus & naso

naſo præciſis, a ſinô præpoſterè circumduxiſſent: Quamvis ſint, qui Joannem cum Creſcente captum ac luminibus orbatum in exilium miſſum tradant. Sigon. lib 7. de regn. Ital. p. 184. Indè commotum ajunt Pontificem, ad redhoſtiendum hoc beneficii genus, ac tantorum Principum gratiam ſibi conciliandam ſanctionem tuliſſe: *Imperatorum nullus hæreditariam ſibi dignitatem vendicato: Principes ſex, ſacri ordinis tres, profani totidem, eum deligunto: Hi ſi diſcordes fuerint Bohemiæ Regem cooptanto.* Petr. Bizar. lib. 23. hiſtor. Genuenſ. p. 554. Bellarmin. lib. 3. de translat. Imperii c. 2. p. 290. Hæc ſententia adeò multos in ſuam ſententiam traxit, ut contradicere fermè piaculo duxerim. Tuentur eam Marſili Patavin. de translat. Imperii c. 11. Ludolphus de Babenberg. de Juribus Regni & Imperii c. 3. Krantz. in vit. Otton. III. lib. 4. c. 25. Blond. decad. 2. lib. 3. Simon. Schard. in lib. ſingulari de Elector. Or. g. c. 1. & pasſim. Petr. Heig. quæſt. jur. part. 1. quæſt. 3. Fabricius: Orig. Saxonic. p. 7. & lib. 2. in vit. Ottonis III. p. 231. & 232. Liebenthal Exercitat. IX. Q. 11. Et hactenus quidem omnes conveniunt, niſi quod quidam originem hujus rei, Pontifici acceptam ferant. Bellarmin. tot. lib de translat. Imper. & quidem nominatim c. 1. totam illam conſtitutionem Pontifici Gregorio adſcribit, & Ottonem Imperatorem planè ab eâ removet, in princip. verò cap. 3. ſummam quidem Pontifici aſcribit, conſenſum tamen Imperatoris adhibitum non negat. Si tamen magis amica veritas quam amicus Plato, amicus Ariſtoteles, quid veri huic opinioni ſubſit, paulò pluribus excutere operæ pretium duxi.

TH. XXI.

Et quidem primò bonâ fide ſtatui poteſt, neque Witichindum, neque Luitprandum, neque Lambertum Schafnabrugenſem, neque Rheginonem Monachum, & Abbatem Prumienſem, neque Ottonem Epiſcopum Friſingenſem, neque Abbatem Urspergenſem, neque Sigebertum Monachum Gemblacenſem, qui tamen ante Friderici II obitum ſcripſerunt, hujus Ottonianæ conſtitutionis vel verbulô meminiſſe, multò minùs confirmationis alicujus Gregorianæ. Quod ut rem memoratu dignisſimam

si quidquam non omisissent, qui res multò leviores consignarunt. Primus ferè, qui Electores nominant reperiuntur Abbas Stadensis & Martinus Polonus Innocentii IV. pœnitentiarius, qui verò imperante demum Friderico II. atque adeò ducentis quadraginta amplius annis à morte Ottonum vixerunt. Et tamen si verba Poloni rectè inspiciuntur, alia & ipsa mentem, quam quæ opinionis errore iis affingitur, præ se ferunt. Verba Poloni ita habent; *Licet isti tres Ottones per successionem generis regnârint; tamen postea fuit institutum, ut per Officiales Imperii Imperator eligeretur, qui sunt septem, videlicet primi tres Cancellarii, Moguntinus Germaniæ, Trevirensis Galliæ, Coloniensis Italiæ, Marchio Brandeburgensis Camerarius est, Palatinus Dapifer, Dux Saxoniæ ensem portat, Rex Bohemiæ Pincernam agit.* Hæc iste, qui nec ullius constitutionis meminit, sed hoc tantùm affirmat, post Ottonis tempora cepisse Officiales Imperii eligere. Deindè nec Gratianus, qui circa annum Christi 1151. decreta, constitutiones, & statuta Pontificum descripsit, ullam hujus vel constitutionis, vel etiam Papalis confirmationis mentionem facit. Neque in Basilicâ D. Petri inter elogia Gregorii V. quæ cætera omnia hujus Papæ facta magnificè deprædicat, hujus rei vel vola vel vestigium. Accedit huc edictum tempore demum Heinrici IV. in Forcheim (quo ArchiEpiscopi, Episcopi, Duces, Comites, Majores, minoresque, cum Legato Apostolico convenerant) factum, *ut Regia potestas nulli per hæreditatem, sicut antè fuit consuetudo, cederet, sed filius Regis etiam si valdè dignus esset, per electionem spontaneam, quam successionis lineam Rex proveniret: si verò non esset dignus filius, vel si nollet, eum populus, quem Regem vellet facere, in potestate haberet.* ap. Goldast. Constit. Imperial. tom. 1. p. 238. Cui edicto contradixit Heinricus VI. *qui propter frequentes mutationes Imperatorum, ordinavit, ut amplius electio non fieret, sed per solam sanguinis successionem Imperium deferretur, ita ut qui propinquior Imperatori esset, hæreditariè fieret Imperator.* Goldast. tom. 1. Constit. Imperial. p. 287.

TH. XXII.

Denuò probari potest non solos septem hos Principes, sed alios quoque jus suffragii obtinuisse. Apud quos ante Ottonem III. hæc dignitas præcipuè fuerit, diligenter notavit Onuphr. Panvin. de Comit. Imperat. c. 6. Post Ottonem in electione Heinrici V. notantur præcipuè *Adalbertus Moguntinus*, *Fridericus Coloniensis*, *Oudalricus Constantiensis*, *Arnolphus Spirensis*, *Oudalricus Abbas Fuldensis*, *Heinricus Dux Bavariæ*, *Fridericus Dux Sueviæ*, *Godofridus Palatinus Comes*, *Beringerus Comes de Sultzbach*, ap. Goldast. Constitut. Imperial. pag. 259. ubi in margine à viro hoc nunquam satis laudató exprimitur, id, quod nos elicere volumus. *Hinc discimus*, inquit, *jus eligendi Imperatorem ceu penes universos Imperii Principes non verò penes solos Septem-viros Electores ut hodiè extitisse* His adde etiam *Bernardum Paderbornensem*, *Thietmarum Mindensem*, & alios in Epistolâ ad Innocentium Pontificem de confirmandâ Ottonis IV. electione apud eundem p. 287. Quæ cum Cardinalis Bellarminus negare non possit, hoc tantùm excipit, electionem incepisse tempore Conradi I. sed constitutionem de eâ sub Ottone III. latam, & Pontificis auctoritate confirmatam. Rationem hujus effati reddit, quia nullum certum decretum legitur extitisse ante Ottonis tempora. Sed nihil indè conficitur, ut vel inter pueros Logicorum constat. Licet enim negare, prioribus seculis gesta esse, non valeat consequentia, quod annalibus non sint expressa, valet tamen, quantum ad nostram scientiam, quod de eó nihil certi possimus affirmare, nisi etiam de contrariô constet. Ne dicam electionem semper fuisse populi Germanici, licet Imperatores sibi interdum aliquid de factô arrogârint, quâ de re vid. Lehmann. Chronic. Spirens. lib. 5. c. 17.

TH. XXIII.

Attendamus adhuc quædam autorum testimonia, qui singulorum Imperatorum electiones nobis reliquerunt. *Heinricus I. patre Helicone, natione Noricus, ejusdemq; gentis Dux ab*

omnibus regni primoribus electus Rex creabatur. quod est testimonium Episcopi Frisingensis histor. suar. VII. c. 17. *Anno ab Incarnatione Domini M. XXV. defunctô sine filiis Heinrico Chunradus natione Francus ab omnibus electus regnũ sortitur.* Addunt Abbas Urspergensis & Sigon. in ejus vit. nonnullis Principibus in Cononem Ducem animô propendentibus rem consiliô Aribonis (vel ut alii legunt Abbonis) perfectam, sequuti autoritatem Heinrici antecessoris, qui de successore consultus: Conradum inquit Franciæ Ducem, virum consiliô manuque promptum eligite. In comitiis quoque Imperii, quibus Heinricus II. Imperator Chunradi filius, Rex renunciatus est, nulla unquam septem Electorum mentio fit apud hos scriptores, qui tantum regni Principum meminerunt, quô tempore Dux Bohemiæ rebellio erat. tantùm abest, ut electionis jure ardua hæc negotia tractâsset. De electione quoque Heinrici III. Imperatoris, qui patre vivente Heinrico II. Rex appellatus fuerat, sic scribit Lambertus Schafnaburgensis, qui eô tempore vivebat: *Anno Domini M. LII. Imperator Heinricus II. natalem Domini Polethæ celebravit, ubi filio suo Heinrico adhuc Catechumeno Principes regnì sub juramento fidem promittere fecit.* Quod si quis clarius & apertius hæc videre velit, legat ejusdem Lamberti historiam, ubi Rudolphi Ducis Svevorum electionem describit, qui Rex Germaniæ in Schismate contra Heinricum III. à Principum Imperii parte renunciatus fuit, quibus Comitiis præter multos Germaniæ Principes sacros tum profanos, quoque duo Gregorii VII. Legati Cardinales interfuerunt. Quod electio etiam Heinrici IV. Moguntiæ facta confirmat, *in quo quinquaginta duos vel eò amplius etiam Imperii Principes tùm Ecclesiasticos, tùm Laicos, exceptô Duce Saxoniæ Magnô, quem tùm gravior ætas impediebat, fuisse congregatos legitur*, vid. Otto. Frisingensem. lib. 7. c. 11. Abbat. Urspergensem in Chronic. anno M. CVI. Atq; hunc ferè in modum reliquosque Imperatores Lotharium II. Conradum III. Fridericum Ænobarbum, Heinricum VI. Othonem IV. & Fridericum II. electos fuisse ex allatis modò autoribus

abundè

abundè constat. adde Onuphr. Panvinii de Comit. Imperator. c. 6. Lymnæ. Jur. Public. tom. 1. lib. 3. cap. 1. Reinhardum König Politic. lib. 1 c. 34.

TH. XXIV.

Nititur itaque veritatis talo, illam sub Othone III. Septemvirorum institutionem nullô planè historicorum suffragiô fundatam. Et quamvis demum Friderici II. tempore magnam hi septem præ cæteris Principibus in eligendo Imperatore authoritatem habuerint, reliquos tamen nec tum fuisse exclusos, adeoque verisimile sit post mortem Friderici II. in illo multorum annorum interregno & statu turbulentissimô hos septem Principes ut potentiores hoc jus sibi sumpsisse, quod etiam A. B. confirmat, quæ cap. 1. non ad constitutionem aliquam, sed consuetudinem provocat. In quam opinionem etiam Arumæus transcendit, discurs. 3. ad A. B. conclus. 5. Quæ quoque sententia est Onuphrii Panvinii d. l. c. 9. ubi hanc institutionem Electorum in magnô Conciliô Lugdunensi secundô, quod ex autoritate Gregorii X. Papæ post Rudolphi Habspurgensis electionem celebratum fuit, receptam fuisse & confirmatam, quod ab eô deinceps tempore multa Electorum mentio haberi incipiat, atque singulorum Imperatorum Comitiorumque, quæ ab his VII. Electoribus habita fuisse illorum temporum auctores scribant. Indeque errorem nominum subortum, V. pro X. ponentium conjecturâ non omninò improbandâ proponit. Cùm illud certum sit, quod circa hæc tempora penes solos hos septem jus Electionis remanserit, quod confirmatum dein A. B. Caroli IV. ita vires in Imperiô sumpsit, ut ad hæc nostra quoque tempora duret, excutere, quinam creandi Imperatorem modus per A. B. exhibeatur, propositi nostri ratio suadet.

CAP. III.

Cap. III.

Aureæ Bullæ originem & quædam de Electorum numerô eorumque eminentiâ commemorans.

Th. 1.

Quemadmodum omne regnum: Ita & nostrum Imperium habet suas leges fundamentales, ita dictas, quod his ceu fundamento innitatur per eas consistat, vigeat floreat. Inter eas verò præcipua est A. B. Caroli IV. quâ tanquam basi imperium nostrum nititur, æterno nixurum. Si tamquam Oratores in campum hunc prodiissemus larga commendandi se offerret materia. Omninò nobis esse potest, quod Romanis Ancile, quo salvo se quoque salvos fore vel ex ipso Musarum edicto, quod Numa Pompilius inculcatum sibi ferebat, sperabant Godolevæ: ad Liv. p. 19. Qui primam Bullarum originem memorant, eam gestamen quoddam puerorum fuisse contendunt: Quô procul dubio illi Persii versiculi faciunt, quos exhibet Satyr. 5. vers. 30.

Cum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaq; succinctis laribus donata pependit.

Quod clarius adhuc Cic. in Verrinis explicat: *Bulla*, inquiens, *in togâ prætextâ, erat ornamentum pueritiæ.* Hujus rei institutum quidam à Tarquiniô Priscô repetunt vid. Panciroll. lib. deperditar. rer. tit. de habitib. & vestiment. veter. p. m. 150. Alii ad tempora Romuli & illa privilegia mulierum, quæ illis exhibita, cum captô à Sabinis Capitoliô & signis in mediô forô collatis, interventu suô pacem inter dimicantes conciliâssent hostes. Lazarus Baysius de re vestiariâ c. 10. paulò aliter Macrob. lib. 1. Saturnal. c. 6. Nonnulli ingenuis pueris credunt attributum, ut cordis figuram in bullâ ante pectus annecterent, quam inspicientes ita demum se homines cogitarent, si corde præstarent. Alii ex ipsô nomine rationem nectunt, & cum Varrone tradunt, cum consilium (quod Græcis Bule est) Æolicè Bolla dicatur, hoc pueris

eris signum probi consilii fuisse additum, quasi ætas ea alterius consilio sit regenda. Joh. Pierius hieroglyph. lib. 41. Perottus in Cornucopiæ bullam dictam asserit, à similitudine ejus bullæ, quæ Spiritu in aquis excitatur, præcipuè dum bullit, figura rotundæ: à qua cum mox deficit notissimum illud proverbium: *Homo bulla.* In quâ auctorum diversitate quamvis nihil certi statui possit, tamen illud satis constat, nomen bullæ priscis latinis pro re tumidâ, ut in aquis guttæ sunt, quæ orbiculantur, in cingulis ornamenta, in clavis capita. Lips. in Analectis ad milit: Roman. Tiraquell. de nobilitat: c. 37. n. 166. Posteris verò pro sigillo majori usurpatum, c. licet, de crimine falsi. Exindè bullare pro sigillare, & bullator pro sigillatore dicitur. d. c. licet §. cos etiam. Denique per metonym: adjuncti pro subjecto diplomata etiam, quibus bulla appendebatur, bullas appellatas fuisse satis constat. Idque non solum in linguâ Latinâ constitisse, verum etiam in Germanicam nostram transmigrâsse, præter alia multa testatur, Reichs Abschied zu Augspurg Anno 1530. §. Nach dem Chur Fürsten und gemeinen Ständen/ ibi: Die Bullen geistlicher Heiligkeit von Verkauffung geistlicher Güter/ & infinita loca, ubi mentio fit der güldenen Bullen. Harum verò quatuor inprimis genera fuisse, auream scilicet, argenteam, ceream & plumbeam, optimè observavit quidam non inferioris sortis homo, quas explicatas vid. apud Lymnæ. Jur. public. lib. 1. c. 11. Nostra illa nomen aureæ meruit, quod non plumbea, quam sui Juris fecerunt Pontifices lib. 1. ceremoniar. Eccles. Roman. c. 2. in fin. Sed aureâ *Imperatoris* Bullâ seu signetô obsignata fuerit. Imperatorum enim concessionibus & sanctionibus gravioris momenti, aurea appendi consrevit, cujus vel adspectus solus immensum quiddam majestatis & gloriæ contemplantibus ingerit, & venerabundos cogit summi Imperii & veteris Romæ atque aurei seculi meminisse, ut Franciscus Petrarcha de oblatâ Comitivâ sub aureâ Bullâ alibi loquitur. Sanctio itaque ipsa Synechdochicâ denominatione A. B. ab ejus appensione appellatur: *Carolus Imperator*, inquit Trith. in Chron. Hirsaug. *Anno 1356. Bullam dictam Auream, quia sigillo aureo roborata, conscribi fecit.*

F TH. II.

Autorem satis notum Carolum IV. agnoscimus, qui propterea *minimè pœnitendus Imperiô Princeps censeri debet.* Fabric. lib. 6. Origin. Saxonic. Non exclusis tamen Principibus ac statibus Imperii, quos simul de A. B. promulgatione participâsse ex præfat. A. B. in versicul. Assidentibus nobis omnibus Principibus satis superque constat. Caroli verò dicitur, quod sub ipsius directione & nomine cum usu publicô communicata fuerit, cujus etiam propriâ manu Bullam conscriptam, sunt qui planè autument. Quod si fortasse non verius (sunt verba Lymnæi) tamen Bullæ nostræ decentius, quam cum aliis Bartolo hoc adscribere, præsertim cum is eô, quô hæc publicata est anno in vivis esse desierit Funccius in Chronolog. p. 159. Occasio quâ motus fuit Carolus præcipuè subnatæ in Imperiô feruntur lites, quas circa electionem Imperatorum Principes movere solebant. Eousque enim ambitio eorum exarserat, ut primum sibi quisque locum & authoritatem in eligendô assidendôque vindicaret, nedum ut alius alium in honore deferendo præveniret. Unde simultates inter illos & aliquoties cædes è domesticô illô dissidiô suscitabantur. Sunt, qui nescio quibus cavillandi stimulis correpti ideò à Carolô institutam fingunt Bullam, ut electionem Regis Romanorum vivente adhuc Imperatore introduceret, faciliorem que aditum hôc modô Wenceslao filio ad Imperium sterneret Canin. ad A. B. p. 103. Sed, præter, quod hâc de re in A. B. nihil dispositum, & per ejus sanctionem Regem Romanorum vivo Imperatore eligere non liceat, quod in contrarium non sit præsumptio, magis mens Imperatoris ex verbis in Proœm. A. B. positis est dijudicanda: *Tu quidem* (verba habes Imperatoris) *invidia Christianum Imperium à Deo, ad instar S. & individuæ Trinitatis, fide, spe, & charitate, virtutibus Theologicis roboratum, cujus fundamentum super Christianissimo regno feliciter stabilitur, antiquô venenô, quod velut serpens in palmites Imperiales, & membra ejus propinquiora impiô scelere vomuisti, ut concussis columnis totum ædificium ruinæ subjiceres, tentâsti. Divisionem*

nem inter septem candelabra lucentia in unitate Spiritus septiformis, quibus sacrum illuminari debet Imperium, multoties posuisti. Sanè cùm ex Officiò, quô Cæsareâ dignitate p timur, futuris dissensionum & divisionum periculis inter Electores ipsos, de quorum numerô, ut Rex Bohemiæ, esse dignoscimur, ratione duplici, tàm ex Imperiô, quàm Electionis jure, quô fungimur, occurrere teneamur. Planè hæc talem loquuntur Imperatorem, qualem Justinianus in pr. Institut. depingit, dum *Imperatoriam Majestatem non tantùm armis decoram sed etiam legibus voluit armatam, & suo quasi exemplo quemvis monuit, ut omnia in meliorem statum studeat reducere.* Promulgatio A. B. in solenni curia Norinbergensi facta anno millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto, ut verba A. B. in fin. procem. habent. Heig. quæst. 4. n. 10. Goldast. tom. 1. Constitut. Imperial. p 101. idque indubitatum ferè, quoad Leges 24. priores, in nostrâ Bullâ positas. Reliquas enim, quæ has 24 sequuntur Metis prioribus adjectas clarissimum facit tit. in verb. Infra scriptæ leges promulgatæ sunt in Curiâ Metensi per Dominum Carolum IV. Romanorum Imperatorem & Bohemiæ Regem Augustum Anno Domini 1356. vid. quæ habet Limn. Jur. public. lib. 1. c. 11. Arum. discurs. 1. ad A. B. quæst. X.

TH III.

Quocunque autem locô editæ fuerint hæ leges, in perpetuum sunt duraturæ, ut sæpius inculcavit Imperator. *Decernimus & præsenti edictô Imperiali perpetuô valituro sancimus.* tit. 1. tit. 8. versic: ad Adjicientes expresse. tit. 9. pr. tit. 3 versic habitâ deliberatione tit. 4. in pr. it. §. 2. Quoties & quando. tit. 6. in pr. *Decernimus nunc & perpetuis futuris temporibus in omni suo tenore & formâ indubiam tenere robore firmitatem.* tit 7. in fin. Confirmat hoc Capit. in quam juravit Carolus V. ap. Sleidan. lib. 1. Nisi Electores, cæterique Imperii Ordines pro statu & utilitate Reipublicæ in abrogationem vel immutationem consenserint. Nihil enim tàm naturale est, quàm eodem modo aliquid, quo ligatum est, dissolvere. l. 35. ff. de R. J. Est enim ea na-

tura omnium legum positivarum ut mutari in singulos dies possint, modò utilitas publica, pro quâ susceptæ abrogationem exigat. Hæc enim suprema lex est, cui inferiores omnes meritò cedunt & subjiciuntur. Ad quod sine dubio A.B. c.12. §. 2. respexit, dum eam, quàm paulò antè explicaverat ordinationem ad suam & Electorum duntaxat beneplacitum duraturam constituit. Jndè multi salvari poterunt actus ArchiPrincipum, Electorum & Ordinum Jmperii consensu contra sanctionem hanc celebrati, & per contrariam observantiam & consuetudinem introducti, ut hinc de collapsâ A.B. justitiâ & partim obsoletâ, & malè abrogatâ ejus observantiâ conquerendi causam fortè haud sufficientem habuerint, Goldast. in Bohem. lib. 4. c. 6. n. 22.

TH. IV.

Dispositum autem præcipuè in A.B. tùm de eligentibus, tùm de personâ eligendâ, tùm etiam de ritibus & ceremoniis in eligendo observari solitis. Eligentes sunt septem Electores, quorum varia illaq; præclara encomia hinc indè dispersa extant. Vocantur *decus Imperii, illustres Principes, Electores, per quos cepit, & in quibus consistit Imperatoria gloria celsitudo.* Sigismund. in Constit. de J. & successione Elector. Palatin. §. 1. *septem candelabra lucentia in unitate Spiritus Septiformis, quibus sacrum illuminari debet Imperium: Palmites Imperiales & membra ejus propinquiora,* in procem. A.B *solidæ bases Imperii & columnæ immobiles tit. 12. quæ sacrum ædificium circumspectæ prudentiæ solerti pietate sustentant, quarumq; potentiâ dextera Imperialis potentiæ roboratur,* tit. 3. Oberste und allernächste Glieder des Heil. Reichs. In der Churf. Urthell. Alß König Wenceslaus abgesetzet worden. ap. Goldast. in Reichssatzung. p. 159. Besondere Glieder des Reichs. In der Handelung Chur und Wahl des Großmächtigen Königs Carls. ap. Goldast. in Reichs Handelung. pag. 97. Oberste Väter und Rahtgeber der Teutschen Nation. ap. Hortleder. de caus. belli Germanic. lib. 1. c. 37. p. 292. n. 511. Planè illos Imperator in partes corporis sui ascivit: Et ipsi, inquiens, pars corporis nostri sunt. A.B. sub tit. 24. Qui verò

Electores

Electores sint, id passim ex A.B. præcipuè verò tit.4. ubi votorum colligendorum ratio extat colligitur. Unô quasi intuitu illorum tàm nomina quàm Officia nobis exhibent versiculi illi, rudi quâvis Minervâ conscripti:

Moguntiensis, Trevirensis, Coloniensis,
Quilibet Imperii sit Cancellarius horum,
Indè Palatinus Dapifer: Sax portitor Ensis;
Marchio Præpositus Cameræ: Pincerna Bohemus,
Hi statuunt Dominum cunctis, per secula summum.

Histor. Eccles. Magdeburg. cent. 10. c. 16. Lampad. in Republ. Roman. Germanic. magis ornatè Reusner. in descriptione urbium Imperial.

TH. V.

Cæterum sicut inter homines nihil tam sanctum, quod illi virtutum Sandapilarii & bonæ mentis tortores sacrilegô non contaminent ore, nihil tam honestum, quod non furialiter allatrent, nihil denique tam pulchrum, quod improbè non commaculent. Ita & saluberrima hæc Collegii septemviralis Institutio suos invenit osores, corrosoresque, qui universo Imperio Romano illam damnosam extitisse clamant, quod indignè ferentes exteræ nationes, Galli, Hispani, Angli, Scoti, Poloni, Dani, Norwegi, Sweci, aliique Duces & populi, ejus Imperii onera subire, à cujus summis honoribus exclusi essent, contra illud Plinii, Imperatorum ab omnibus eligi debere contendentis Nicol. Betsius, c.1. de pact. fam. illustr. jugum excusserint, Ventur. de Valent, lib.1.c.17.n.32. Sed nescio annon hæc regnorum avulsio magis populis illis, specioso libertatis nomine, ad rebellandum illectis, Pontificum Romanorum consiliis & molitionibus in Imperii perniciem, sedis verò Romanæ exaltationem, excitatis, denuò exteris etiam, qui plenô impetu in hæc regna effusi, ea sui Juris fecerunt, quam institutioni Electoralis Collegii sit accepta referenda. Marsilius Patavius in defensione Ludov. Bavari in Præfatione. Quodenim seculi nostri vitium est, nullum delictum tam atrox, quod non virtutis speciem mentiri velit. Prudentiori longè instituto

Franciæ Orator ad Electores circa Electionē Caroli V. occupatos. *Nunquam*, inquit, *auspicatius, nunquam fortunatius, nunquam melius feliciusq́; consultum fuisse Augustissimæ Imperatoris Majestatis culmini animadvertimus, quam ubi deligendi creandiq́; Romani Regis ac subindè Imperatoris potestas atque auctoritas omnium Principum Christianorum consensu, vobis Septemviris tradita est. Vos, inquam, septem Principes, qui veluti Septentriones in cœlò, reliquas splendore atq; Ordine stellas antecedunt: ita vos in terris auctoritate, potentiâ, viribus, consiliò, generositate, sapientiâ, non modò Germaniæ, sed aliarum quoq́; gentium Proceribus ac Principibus prælucetis.* ap. Goldast. Politic. Imperial. part. 1. discurs. 6. p. 110.

TH. VI.

In investigandô numerô, nimium scrupulosi existunt autores, quâ ratione factum, quod septem Electoribus hæc provincia fuerit tradita. Sunt planè qui ad Persas hujus rei originem referunt, nescio annon huc trahentes, quod septem Principes occisis Magis inter se de regnò decertassent, ac electionem fatô transmisissent. Justin lib. 1. Instituto pene, quo Livius numerum duodecim lictorum ab Etruscis ad Romanos à Romulo traductum putat, quod in confiniô eorum positi essent. Liv. lib. 1. c. 8. Non enim dubitarim, quod hujus sententiæ assentatores, id inprimis fefellerit, quod Germanos majores nostros Persarum olim fratres iisque primâ origine conjunctos existimàrint: ut cum nonnullis voluit Piccardus in Orat. de ortu primo & migratione veterum Germanorum, in quorum errore refellendo occupatus est Limnæ. Jur. public. lib. 1. c. 6. Et cur non potius diceremus, Electores septem ad exemplum septem lucernarum, quarum ap. Mosen lib. 2. c. 25. v. 27. fit mentio ad illuminandum Imperium, ut verba A. B. in princ. habent, fuisse introductos. Alii aliquid mysterii in numero numerante quærunt, quem Hebræi sacrum, Galenus perfectum vocat, quod & in sacris hôc numero magni momenti res aliquandò absolutas legamus, ut patet ex Genes. 2 v. 1. Jos. 6. v. 4. & 18. & magnas itidem in eô operationes & mutationes conspiciamus

amus

amus, de quibus præter alios Benedictus Pererius in acroasi Physic. Aristot. Sed nescio annon hos vel soli Logicorum pueri summovere possent, inter quos quam nulla quantitatis efficacia, satis notum. Imò cum alii novenario: alii ternario (quem & primum esse numerum non binarium tradit Alberic. Gentil. Lection. Virgil. c.15, cujus tamen salvum sit hâc de re judicium) perfectionem tribuant, & quilibet numerus suæ laudis materiam ingenioso præbeat, septenario palma cur deferenda, planè non video, fortè si etiam mutationes quædam, quæ sub numero septenario accidunt, aliquid magis influxui astrorum debeant, quam numero, quæ causa, quia non æquè patet, per comites numeros judicari, vel ut verius dicam, conjecturari solet. Connimbric. lib. 1. de generat. & corruption. c. 4. quæst. 2. art. 2. Quidam concedunt in sententiam Simonis Schardii de Orig. Elector. c. 9. qui olim quatuor fuisse Ordines Electorum Laicorum; Regum Ducum, Marchionum Comitum. Ne autem electionem ad paucos devolvendo, ullus prædictorum Ordinum, de eo posset conqueri, ac, si præteritus & exclusus, unum ex Regibus unum ex Ducibus, unum ex Marchionibus, unum ex Comitibus, cum Ecclesiasticis tribus admissos fuisse, qui cæterorum vice & nomine electionem peragerent. Arum. h. conclus. 7 Onuphr. Panvinio maximè hic numerus ad eligendum accomodatus videtur, quod aliis tribus dissentientibus, quartus omnem dissensionem & discordiam tollere possit, de Comit. Imperator. c. 9. Quæ sententia non adeò absurda, si Onuphrius hæc tantum ad imparitatem numeri restricta velit, nec præcisè ad septenarium, quod aliàs ternarius quoque numerus, aliique hâc vice fungi possint. Indè si nulla satis ex his probabilis videatur sententia, nescio annon ad illud commune ignorantium asylum nobis quoque confugiendum, quod scilicet non omnium, quæ dicta sint, possit reddi ratio, l. 20. ff. de LL. vel dicendum, quod majoribus nostris ita placuerit quam rationem Dn. Vultejus de septem testibus in testamento adhibendis proponit. in §. possunt. 5. n. 27. Instit. de Testam. Ordinand. Cui tamen hoc superaddendum censemus, præcipuam horum in Imperiô invaluisse auctoritatem, ita ut velut consuetudine penes hos tantum illud Juris remanserit.

Th. VII.

Ejus paulò certior haberi potest notitia, hunc numerum septenarium adeò ad strictam fuisse observantiam redactum, ut Maximilianus I. petens ArchiDuces Austriæ in numerum Electorum cooptari nihil effecerit. Hartm. Maur. in Coronat. Caroli V. Imperator. Freher. ad Petrum de Andlo. lib. 2. c. 1. nec Gabriel Transylvaniæ & Zeculorum Princeps, dignitatem Electoralem efflagitans eam obtinuerit Melchior Goldast. de Regn. Bohem, lib. 3. c. 5. n. 5. p. 288. Illius quoque ratio forsan magis in promptu, quod hoc collegium ex Ecclesiasticis & Secularibus coordinatum quasi & connexum fuerit. Jam olim enim præcipua horum ArchiEpiscoporum in omnibus Imperii negotiis habita fuit ratio, Onuphr. d. l. c. 9. nec Laici tantum sed Clerici quoque ad electionem Imperatoris admittebantur. Indè ut olim, ita & postea electionis Jure in paucos translato, voti sui compotes æquè ut seculares fieri debebant, ut non solum essent viri bellicosissimi, sed etiam doctissimi, qui præsidiô suô dexteram Imperialis potentiæ roborarent, & sacrum ædificium circumspectæ prudentiæ solerti pietate sustentarent. A. B. tit. 3. Crediderunt enim veteres sine sacerdotum interventu, nihil felici omine posse expediri. Petr. Heig. part. 2. quæst. 4. n. 61. ac ita demum in portu consistere existimarunt Rempublic. si ex togatâ & armatâ militiâ Senatus Imperii constitueretur. M. Stephan. de Jurisd. lib. 2. p. 1. c. 5. n. 18. Sacerdotes quidem quanti nostri majores fecerint, vel indè patet, quod de re aliquâ publicè consultaturi ejus eventum ex sacerdote sortes auspiciaque observante sciscitarentur. Tac. de mor. German. p. m. 406. Quod nec à Romanorum moribus alienum, apud quos Pontifex præcipuæ dignitatis, cujus scitis omnia publica privataque sacra Numa Pompilius subjecit, ut esset, quô consultum plebs veniret Liv. lib. 1. c. 20. Quo spectat honor, qui dissectâ novaculâ cote, Accio omnique augurum sacerdotio accessit, ut posthac nihil domi belliquè nisi auspicato gereretur. Liv. lib. 1. cap. 36. Adeò semper tacita quædam Numinis reverentia maximum circa sacra occupatis paravit honorem, ut eventum quoque rerum minus felicem horum neglectui acceptum ferrent. Quæ ratio ut non improbanda omni modô videtur Sleidano, non potest tamen

non adjicere illud etiam Pontificis consilio factum, ut potestatem, quam arrogaverat sibi in Imperii negotiis confirmaret Sleidan. in Orat. elegant. ad Princip. p. 9.

TH. VIII.

Eminentia horum Electorum maximè fulget, & cæteris Imperii Principibus præfulget. Quæ enim major vel sublimior dignitatis amplitudo, hiscè Principibus deferri potuisset, quam quod præ cæteris digni sint habiti, quorum humeris tanquam firmissimis columnis Germanici imò Occidentalis Imperii celsitudo committeretur; & ut ex ipsis tanquam generosissimô germine Imp. decedente Aquilâ, quæ umbrâ alarum suarum Occidentem tegeret produceretur? Sit sanè aliorum Principum dignitas magna, hæc verò tantò major augustiorque est, quanto Imperiali fastigio propior, ejusque quasi legitima & ordinata creatrix esse videtur, quæ verba sunt Simonis Schardii princ. de Origin. Elector. Est maximè hanc in rem decretum Rudolphi II. de dato 27. Julii anno 1590 cui sequentia verba se inserta vidisse scribit Heinricus Brunning. de variis universit. speciebus th. 10. Daß der Churfürsten Hoheit und Authorität mit eines Römischen Keysers Gewalt und Hoheit/ daher sie fleisset dermassen verbunden/ daß ohne die ander nicht verschmählert werden/ auch ohne die ander nicht bestehen kan/ ja daß die Höchste Würde des Churfürsten/ damit sie vor den andern Königen und Potentaten gezieret/ eben diese ist/ daß sie einen Römischen Keyser/ dessen Hoheit/ Authorität und Gewalt alle andere übertrifft/ von der auch alle andere herfliessen/ zu wehlen habē. Olim quoque apud Lacedæmonios Regibus Ephori adjungebantur (quorum præcipua apud Æmil. Prob. incidit mentio, & non incongruè in vit. Pausaniæ illorum potestas delineata sistitur) his Albinus de famil. Wittichind. Septemviros comparat: & apud Hetruscos Lecumones, Alb. d. l. Sic apud Romanos Interreges constituti, quibus Comitiâ habentibus aliquis Rex eligebatur. Liv. lib. 1. c. 32. Halicarnass. lib. 4. Galli illos vocant Ordines Regni, inter quos præcipuè sunt pares numerô duodecim, qui in Laicos & Ecclesiasticos dividuntur quâ de re vid. præcipuè Otton. Jur. public. c. x. p. 214. Quorum fortassis ut aliqua cum nostris intercedat

de Jure & antiquâ consuetudine potestatem eligendi Regem in Imperatorem promovendum, ad illos Principes pertinuisse, E. Pontificem autorem excludit, pro indole propositionis exclusivæ, quæ non admittit illos casus, quos excludit. Secundò etiam tantùm recognitionis debitæ seu assensus meminit, qui tamen non ita necessarius, ut annullare hunc actum potuisset, nisi intercessisset, sed tantùm comprobativus, qui statutum Ecclesiæ & Reipubl. necessarium commemorat. Ad consuetudinem igitur, quâ maximè Electores in Comitiis Reinsensibus supra Ludovico Imperatore contra Pontificem nitebantur, ap. Goldast. tom. 1 Constitut. Imperial. p. 335. §. 2. addenda quoque specialis Caroli IV. sanctio, quâm dignitatem his Electoribus debitè confirmare & alia privilegia addere recognoscimus.

Cap. IV.

Privilegia Electorum in genere examinans & Exegesin quandam Politicam superaddens.

Th. I.

PRivilegia, quibus cumulavit Carolus IV. Electores, vel omnibus communia, vel singularibus attributa. Inter ea, quæ ad omnes spectant, est Jus quoque argentifodinarum, quo universi auri & argenti fodinas, atque mineras stanni, cupri, plumbi, ferri & alterius cujuscunque generis metalli, ac salis tàm inventas quam etiam inveniendas in principatibus, terris dominiis tenere, & legitimè possidere conceditur. A.B. tit. 9 Olim enim jus argentifodinarum Imperator per Imperium tanquam Regale sibi vendicabat. Quod satis expediunt literæ Heinrici VI. ad Episcopum Mindensem, Paderbornensem, & Osnaburgensem, ne aliquis in argentifodina in Episcopatu Mindensi nuper inventâ quicquam juris sibi usurpet, quod omnis argentifodina ad Jura Imperii pertineat, & inter regalia computetur. Goldast. Tom. III. Imperial. Constit. p. 362. Cui addi potest privilegium argentifodinarum

dinarum Comitibus Glichensibus à Carolò jam tum Magno concessum ap. Goldast. tom. I. Constit. p.17. Indè Electores de fodinis in dominiis suis extantibus decimas exsolvere solebant. Lymn. Jur. public. lib.3. c.2. Hôc verò privilegiô omne illud Electoribus accessit, ingenti publicarum privatarumque rerum incrementô. Undè ærarium Saxonicum ita collocupletatum, ut commemorante Albinô intra 79 annos ex unâ Snebergensi fodinâ per decimas duntaxat & prærogativas mallei signatorii vulgò Schlagschatz in illud 41118. tonnæ auri pervenerint Albin. part. 3. Chron. Metallici Kirchner. de Republ. disput.15. th.1. lit. G. Quamvis id privilegium ad alios quoque Principes & status Imperii ceperit pertinere, vel ex peculiari concessione & investiturâ, vel ex immemoriali præscriptione Knich. de Saxon non provocand. jur. ver. Durum c.5. n. 109. Additum huic privilegio & illud, ut monetas auri & argenti in omni locô & parte territorii sui, ubi ipsi placuerit cudi facere & mandare sub omni formâ & modô liceat. A. B. tit. X. Est hoc jus inter ea, quæ regalium nomine veniunt, l.1. & 2. C. de fals. monet Borcholt. n. 55. quæ sint regalia. Bocer. c.2. de regalib. n.222. Indè legimus antiquis temporibus, si aliqua Italiæ urbs in gratiam cum Imperatore rediret, vel ei Imperator gratificari studeret, plerunque aliis juribus, jus quoque monetandi annumeratum, quod Sigonii de regnô Italiæ scripta multifariàm probant.

TH. II.

Monetæ usus non cum primis statim mundi incunabulis cepit, & si antiquus sit, non statim ad omnes gentes pervenit. Quippe dum paucis eos contentos natura edocebat, auri quoque & argenti libidine non magnopere laborabant. Quæ continentia quoque ipsis morum justitiam edidit, nihil alienum magnoperè concupiscentibus, scilicet ibi divitiarum cupido, ubi & usus. Indè quod sine scelere, sine probro, eoque sine pœnâ & coërcitionibus agerent, neque præmiis opus esset aut coërcitionibus, cum honesta suopte ingeniô peterentur. Tac. lib.3. annal. p.m.72. Adeò, quod mirabile, in his plus ignoratio vitii profecit, quam in aliis cognitio virtutis. De Scythis planè id testatur Justinus, quod aurum argentumque non perindè ac cæteri mortales appetant lib.2.

Quales etiam majores nostros fuisse constat, quibus aurum & argentum quamvis dubitet, an propitii, an irati negaverint Dii, Tac: subjicit tamen, nun planè negandum nullam Germaniæ venam aurum argentumque gignere, sed neminem unquam scrutatum, adeò non perindè eos possessione & usu affici. Tac. de morib. German. Primi verò dicuntur aurum Facus, argentum Indus Rex Schythiæ reperisse, & humano usui summâ laude tradidisse. ,, Cassiodor. lib. 4. variar. form. c. 34. Juris autem origo seu incre- ,, mentum secundum aliquos tunc primum cepit (ita habet Wich- ,, bildi Magdeburgens: artic: 8. in gloss.) cum Enoch filius Kain ,, civitatem primam construxit, sanctum etenim ibidem fuit, quic- ,, quid unus labore acquisivit suô idem nullus accipere potuit, sed ,, nec alteri dare præsumpsit. Excogitatum tandem fuit signum, ,, in quô Principis imago exsculpta habebatur, signumq; hujusmo- ,, di ostendere cogebatur is, qui aliquid alienare voluit ad deno- ,, tandum, quod cum consensu Imperatoris id faciat, repræsenta- ,, batque obedientiam. Romanis verò imperare & dominari in- ,, cipientibus, Numaque Pompiliô præsidente regnô idem num- ,, mos instituit, juxta prius allegata, quos ex suô nomine Nummos ,, appellavit, cum illisque commercia fieri fecit. Antehac enim usus nummi non erat: sed tota substantia hominum in pecoribus ,, fuit venditioque & emptio non nisi per commutationem rerum ,, exercebatur. Crescente verò hominum copiâ cumque regna etiam longinquè possidere cęperant, nummique & res sine peri- ,, culo de unâ regione in aliam deportari non poterant, ex gratiâ ,, & favore Imperii admissum, & nummos cudere Principibus pro- ,, vinciarum, ubi necessitas postulaverit in signumq; quod de vo- ,, luntate Regis id fit, Imperator seu Rex signum aliquod mittere ,, solitus erat. Hactenus Wichbild. Dicta fuit moneta à monendo Coras. lib. 3. miscellan. c. 13. n. 3. vel quod moneat subditos Principis effigies monetæ impressa, eidem se Magistratui subjectos, cujus imaginem in moneta conspiciant Kirchner. disp. 20. de Rep. in additament. 1. lit. a. adde Constitut. Theodorici ap. Goldast. Constit. Imperial. Tom. III. p. 73. vel quod moneat, ne quid fraudis in ære, signô aut pondere fiat. Sixtin. de Regal. lib. 3. c. 7.

n. 51.

n. 51. Pecuniæ denominationem plerunque à pecude repetunt, quia antiqui totum quod habebant in pecoribus habebant. C. 1. Quæst. 3. cap. 6. adde Casſiodor. lib. 7. variar. formul. c. 32. In cujus rei memoriam etiam numiſmate uſos legimus, cui bos erat inſculptus, & ovis & ſus ut Plutarch. quæſtion. Roman. 41. innuit, quod re maximè pecuariâ ſe alerent, indeque opes pararent. A quibus tamen diſſentit Georg. Becanus, lib. 8. Antiquit. Antverpienſ. magis illam cauſam exiſtimans, quod per pecuniæ ſtudium homines pecudibus aſſimulentur.

TH. III.

Genera verò monetarum diverſis diverſa fuerunt aſſumpta, quæ diligenter congesſit Goldaſt. in Catholico rei monetariæ tit. 34. Ut verò certus monetæ conſtet valor, ille ex bonitate intrinſecâ deſumendus ac per menſuram determinandus. Quod enim Principes certis imaginibus inſignire nummos ceperint teſtati illud ſunt, tantum quemque nummum continere auri argentiq;, quantum inſcriptio in vim publici teſtimonii impreſſa deſignaret. Præter quod etiam illud præſtitit, ut in quâ Republicâ hæc moneta ſit excuſſa demonſtraret. Unde cognoſcere licet inſignia nummis indita monetæ eſſentiam non ingredi, ſed eſſe tantùm qualitatem extrinſecam ideò adhibitam, ut mortales dependendi auri argentique onere levarentur, ac quanta cujusque quantitas eſſet, publicum teſtimonium extaret. Illa verò ex Jure gentium unicè dependet, ita ut nummi valor commenſurandus veniat à pondere auri & argenti, de quo participat. In quam rem conſilia in Comitiis Metenſibus ann. 755. à Pipino Francorum Rege habitis, ap. Goldaſt. tom. III. Conſtitut. Imperial. p. 119. in Comitiis Auguſtanis ann. 1551. habitis §. 37. & 38. ap. eund. tom. II. Conſtit. p. 344.

TH. IV.

Pertinet namque planè ad ſalutem Reipubl. ut monetæ ſuâ conſtet integritas. Unde de eâ tanquam Reginâ mundi ante omnia negotia conſultandum, fideliter ſuadet, quamque benè id obſervatum ſit, oſtendit Goldaſt. in Catholic. rei monet. tit. 3. Romana hiſtoria ſicut nunquam deficit, depromendo ea, quæ ad firmandam

mandam benè Rempubl. ſpectant, ſic nec hâc in parte deeſt, ſingulare peculatus interdictum exhibendo, quo de adulterinâ etjam monetâ cavetur. In quam rem ita Iſiodor. Hiſpalenſ. lib. 5. Etymologiar. c. 26. Peculatus judicium in eos datur, qui fraudem ærario faciunt, pecuniamque publicam intervertunt, non autem ſic judicatur furtum publicæ rei ſicut privatæ. Quâ de re utcunque inter Grammaticos, qui non planè in hanc ſententiam concedunt, conveniat, ſatis illud ex l. 1. ff. ad L. Jul. peculat. certum eſt, quod caveatur lege Juliâ peculatus, ne quis in aurum argentum, æs publicum aliquid indat, neque immiſceat. Quod expreſſius multo in l. 9. ff. ad L. Cornel. de falſ. habetur. Indè quod ex JCto Paulo ſententiar. lib. 5. tit. 25. colligitur, conſtitutum, ut monetæ adulteratoribus manus amputaretur. Quale quid etiam in Conſtantini Imperatoris edictô ſive Conſtitutione præcautum ut in C. Theodoſiano lib. 9. tit. 23. extat. Apud Ægyptios hæc erat conſtituta ſolennis pœna, ut ſiqui vel cuderent vel circumciderent monetam adulterinam, vel ſigna, vel pondera imminuerent, aut falſis literis inſcriberent, dexteræ abſciſſione multarentur. Diodor. Siculus lib. 1. c. 6. Apud Suecos falſarii hujuſmodi appenſis & circumjectis nummis adulterinis in cruces agebantur. Olaus lib. 6. c. 13. Quod etiam Imperatores Imperii noſtri Germano Germanici ſaluberrimis Conſtitutionibus ſubinde caverunt, pœnam ſtatuendo in eos, qui monetam adulteraſſent. In Conſtitutionibus Karoli V. capitalibus mentio habetur legis à Conſtantino promulgatæ, ut qui nummos falsâ fuſione formâſſent falſam monetam feriundo, flando, cudiſſent, aliis palàm oſtendiſſent, aut permutâſſent, aliis perſuaſiſſent, ut eam fraudulenter doloque malô, alios damno afficiendi & fallendi animo exponerent, omni dilatione ſemotâ flammarum exuſtionibus manciparentur. Goldaſt. Tom. III. Conſtitut. Imperial. p. 539. In quam rem etiam Ludovici Pii ſtatutum extat, ut qui falſam monetam percuſſiſſe comprobâſſet, ei manus amputetur, qui conſenſiſſet, ſiquidem liber LX. ſolid. componat, ſi ſervus LX. ictus accipiat. Goldaſt. Tom. III. Conſtitut. p. 234. Mediolanenſibus ideò, quod Imperialem monetam auream & argenteam falſificâſſent, injunctum ab Ottone I. ut monetâ de coriò factâ impoſterum uterentur. Id. lib. eod.

eod. p. 303. In Comitiis Augustanis à Carolo V. ordinum Imperii consensu statutum, ut unusquisque sub pœnâ ignis à granalliis, concoctionibus, conflationibus & separationibus, aliisque similibus fraudulentis perniciosisque imposturis & adulterationibus abstineat. Goldast. Tom.II. Constit. p. 346. adde Tom. III. p. 500. Contz. Politic. lib. 8. c. 17.

TH. V.

Huic privilegio proximum est illud, quo Judæos Electoribus recipere permissum est, A. B. tit. 9. Quod tamen hodie omnibus regalia habentibus attributum videtur. Thom. Michael de Jurisdiction. conclus. 48. lit. B. Reformation guter Pollicey zu Augspurg 1584. tit. Von Juden und ihrem Wucher. In Judæorum verò mentionem cum inciderimus, non planè abs re erit, ut de eorum adventu in Germaniam dispiciamus. Illud sanè constat Judæos diversis temporibus variè afflictos, & ex regione suâ captivos abductos, & passim terrarum dispersos fuisse, adeò ut nondum etiam natô Christô in Germaniâ circa Rhenum consedisse ferantur. Degentibus quondam in Sveviâ Judæis, cùm indè expellerentur, inter monumenta eorum repertam fuisse Epistolam à Judæis Hierosolymitanis ad Germanicos missam, eô tempore, quô Christus in cruce, prô humanô genere satisfecit, in quâ scriptum fuerit, quâ ratione JESUS Nazarenus, qui Judaicum populum commovisset à Pontiô Pilatô suspensus esset. Quapròpter monitos istos velint, ut gratias Deo agerent, de justô hôc suppliciô, diesque hos hilares secum agant & festivos. Ejusdem argumenti aliam & Judæos Ratisbonæ agentes accepisse, quam Johannes Capnio superiori seculô vidisse, ac legisse fertur. Quicquid verò ejus sit excisis ac in cinerem redactis Hierosolymis magna vis Judæorum in Germaniâ appulit sedesque suas hinc indè fixit. Jam verò illud in controversiam venit, Annon etiam Judæi in Republicâ tolerandi veniant? quæ res non inter infimæ notæ viros agitatur. Ut verò faciliùs decidi possit, si de Republ. idealiter conceptâ sermo sit: Felix enim civitas & beata Respublica, quæ unius & sanioris quidem doctrinæ luce collustratur, cum vix firmius concordiæ & unitatis vinculum sperandum facilè sit,

 quam

quam si in unâ eâdemque verâ religione suavissima sit harmonia ac consensus, quo civium animi invicem devinciantur, Kōnig part.2. polit. c.1. thes.7. Sic in Republ. ut sic considerata multa interdum prætermittenda, ne status evertatur. Si aliarum gentium standum judiciô, constat nullô non temporis punctô è Rep. ejectos. Tiberiô regnante de sacris Ægyptiis Judaicisque pellendis actum, factumque patrum consultum, ut quatuor millia libertini generis eâ superstitione infecta in insulam Sardiniam veherentur, coërcendis illic latrociniis, & si ob gravitatem cœli interiissent, vile damnum: cœteri cederent Italiâ, nisi certam ante diem profanos ritus exuissent. Tac. lib.2. annal.p.m.62. Sub Heinricô III. cùm bellum Sarracenis inferre atque Hierosolymorum urbem impiorum è manibus eripere statutum esset, (quâ de re vid. Sigon. de regnô Ital. lib.9. p.234. & 235.) Moguntii & Wormatiæ varias clades perpessi, ibique vel occisi, vel etiam expulsi, de quô Dodechind. Sigebertus, Bertoldus & Baronius tradunt. Nec sedis aliquid in Galliâ hisce homunculis concessum, ubi ne hodie quidem tolerantur. Petr. Gregor. in Syntagmat. Jur. lib.22. c.3. n.23 exceptô districtu Avenionensi, qui ad Pontificem spectat.

TH. VI.

Ad hunc planè modum omnes Judæos è Republicâ ejiciendos, sunt, qui existimant, ut illis omnis nocendi præcidatur occasio. Nec fortassis etiam rationes deficiunt eos, qui putrida hæc Reipubl. membra rescindenda putant. Vix enim satis dici potest, quantô erga Christianos ardeant odiô, ita ut si in ipsorum manu situm unô quasi impetu cunctos ad inferos detruderent. Usque donec enim Christum odio prosecuti fuerint, non poterunt non eos quoque odisse, qui inter discipulos Christi nomen suum profitentur. Quod Lutherus gravidè admodum habet, tom.5. Wittenb. p.480. ac tom.8. Jenens. p.76. Wisse du lieber Christ/ und zweiffele nicht daran/ daß du nechst nach dem Teuffel keinen bittern und hefftigern Feind habest/ denn einen rechten Juden/ der mit ernst ein Jude seyn will. Indè si iram suam sæpius in Christianos non potuerint exercere, ipsorum filiolos miserè pertractando satis prodiderunt,

diderunt, quo præprimis in eorum Parentes sint animô. Anno 1236. Fuldæ, anno 1380. Hallæ Svevorum, anno 1429. Ravesbergæ, anno 1475. Tridenti innocuos pueros multis cruentisque vulneribus conciderunt. Contz. Politic. lib. 8. c. 17. §. 7. Nec vitam tantùm, sed bona etiam fortunæ maleficô morsu petunt, ad quæ subtrahenda ingeniô sunt adcò felici, ut ad id apti nati videantur. PoliceyOrdnung. tit. 20. von Jüden und ihrem Wucher: Item. Abschied des Reichstags zu Regenspurg Anno 1577. §. Neben Berathschlagung. Undè non incommodè sanguisugis æquiparantur. Gilhaus. in arb. Judic. part. 1. c. 1. §. 1. n. 70. quod attrahant, quicquid æris in marsupiis hæret. Denuò etiam horrenda sunt illa calumniarum plaustra, quæ quotidiè in Salvatorem scelcratô ore evomunt. Spekhan. in diatagmat. Judæor. oder JüdenOrdnung. Si ergò hæres indignus, qui hæreditatis sentiat commodum, qui necem defuncti non vindicaverit, l. 1. 6. 9. 10. C. l. 17. l. 20. & seqq. ff. de his, quibus ut indignis t. t. ff. ad SCtum Silanum. Eôdem ergô videntur digni, qui internecinos Salvatoris nostri hostes alunt, vovent, promovent. Quæ quidem rationes, ut satis in recessu habeant, & firmiter Rempublicam muniant, ne non recepti in civitatem assumantur: ita forsan non poterunt applicari, si status Reipubl. non admittat, ut expellantur, ejiciantûrque. Sæpè enim si, quem osorem nostri comperimus, è Republ. emittamus, hôc ipsô auram liberiorem ei concedimus, qua nostram moliri possit pestem. Compertum id exemplô Catilinæ, qui Româ ejectus bellum meditabatur apertum. Et Otho familiaritate Neronis svetâ post congressu & comitate dejectus, cùm denuò in provinciam Lusitaniam mitteretur procax otii & potestatis temperantior, usque ad civile bellum egit: Tac. lib. 13. annal. p. 193.

TH. VII.

Indè ratio suadet, ut si non semper ad palatum nostrum statum Reipubl. conformare liceat, lapsum etiam munire, neque omninò corruat, stabilire quantumvis nitamur. Quod autem cura religionis primum sibi vindicet locum, laborandum inprimis eò, ut ab errore penitus insitô reduci, & ad veram doctrinam re-

 verti

verti possint; Hinc invitandi ad audiendam S. Evangelii prædicationem authore Luthero in lib. de Judæis oper. Germanic. tom. 8. & ideò eos Romæ tolerari Florimond. de Remond. de Antichrist. c.16. n.6. scribit, ut ad veram fidem perveniant. Si verò Synagogis, quas obtinuerunt, non planè sint interdicendi, caveatur sedulò, ut plurium ipsis non fiat copia: vid. Constit. Theodorici Regis 42. 73. & 133. ap. Goldast. tom. III. Constitut. Imperial. p. 42. 50. & 68. Poterunt etiam cogi ut habitum à cæteris distinctum gerant, quod notat Schneidewein de hæredit. quæ ab intestat. n 13. vid. inprimis Contz. Polit. lib. 8. c. 17. Reformat. guter Policey zu Augspurg 1530. tit. von Juden-Kleidung/ ibi: deßgleichen/ daß die Juden einen gelben Ring/ an dem Rock oder Kappffen allenthalben unverborgen zu ihrer Erkäntniß tragen. Prohibeantur inprimis, ne ad munus & dignitates publicas ascendant. Quod cautum rescripto & decreto Theodosii & Valentiani l. 19. C. de Judæ. & Cælicol. Quod etiam in Genthermanni Francorum Regis capitulis in Synodo Matisconensi anno 582. statutis habetur, ne Judæi Christianis Judices deputentur, aut telonarii esse permittantur. Goldast. Tom. III. Imperial. Constitut. p. 613. In civili conversatione opera danda, ne nimia intercedat civium cum Judæis familiaritas. Indè non licet Christianis vel cum Judæis matrimonio jungi l. 6. C. de Judæ. & cœlicol. vel etiam eorum festivitatibus interesse, aut etiam Judæis mancipia præstare. per l. 1. C. ne Christianum mancipium hæreticus, vel paganus, vel Judex &c. Quod cautum itidem in Conciliô Matisconensi habetur, ap. Goldast. d. l. §. 15. 16. Idem quoque in Conciliô 1. Mediolanensi, sub Carolo Borromæo, ibi: ne Judæis in famulatu esse possint Christiani, neve ad convivia, nuptias, vel dies festos & synagogas Judæorum accedant, vel, quod detestabilius est, choreas cum iis agant. Quantum ad rationem juris inter Judæos servandi, utique si de jure inter ipsos exercendo sermo sit, nullum dubium, quod legi Mosaicæ suus debeat constare vigor. Sicut enim per statutum civitatis derogatur juri communi, ubi viget statutum, l. omnes populi ff. de Justit. & Jur. & statuta mercatorum & negotiatorum inter eos sunt servanda l. 2. in fin. C. de Const. pecun. Ita lex Mosaica tamquam lex specialis inter ipsos Judæos servanda est. facit l.

Judæos

Judæos in fin. C. de Judæ. Per quem textum colligitur, quod Judæi ritibus & lege suâ tolerentur, per Imperatorem & etiam per Papam in c. consuluit & in c. Judæi X. de Judæ: Quod verò ad l. 8. C. de Judæ: ubi Judæi communi Romano Jure vivere dicuntur, videtur procedere in his, in quibus nihil per Legem Mosaicam statutum. Tunc enim ad Jus commune recurrendum, ratio suadet. Quo facit etiam Constit. Caroli V. de fœnerat. Judæor. ut in casibus, in quibus nullæ ordinationes factæ essent, communi Romanô Jure utantur. Goldast. tom. II. Constit. Imperial. p. 360. Si verò cum Christiano litigent, tum controversia non secundum legem Mosaicam sed civilem determinanda venit, p. l. 15. C. h. t. adde Schneidewein. cum ibi adductis de successionibus, quæ ab intestat. num. 10. & seq. Justæ negotiationes & commercia in publicis liberisque nundinis ipsis non sint interdicta. Goldast. Tom. II. Constit. p. 550. caveatur tamen ne nimiis usuris subditos emungant. Pollicey Ordnung zu Franckfurth. Anno 1577. tit. 20. adde Constit. Caroli V. de Judæorum fœnerat. Anno 1551. apud Goldast. Tom. II. Constit. p. 360.

TH. VIII.

Nec infimô gradu ponendum jus vectigalium seu percipiendi telonia, quæ ad solum Imperatorem quondam pertinebant, ceu summum quoddam regale, ut liquet ex Constitut. Friderici I. Imperatoris, in tit. quæ sunt regal. lib. 2. F. cujus postea Archi-Principes Electores quoq; sunt facti participes, Melch. Goldast. in Bohem. lib. 4. c. 2. n. 9. limitatâ tamen potestate, eaque ad telonia in præteritô statuta & indicta, per sanctionem A. B. tit. 9. Nova enim vectigalia instituere ad solum pertinet Imperatorem arg. l. 10. ff. de Publican. ibi, vectigalia sine Imperatorum præceptô, neque Præsidi, neque Curatori, neque curiæ constituere, nec præcedentia reformare, & his vel addere vel deminuere licet, l. 3. C. vectigal. nov. instit. non poss. & ibi Cujac. in paratitl. Inde Bald. in l. 3. C. de Jur. fisci & Salyc. in l. fin. C. eod. institutionem vel concessionem vectigalium esse de summô Imperiô, & in his, quæ Romanus Princeps sibi soli reservavit, ita ut nullus alius præter Imperatorem illa impartiri possit, l. 1. C. de jur. aur. annul. Cujus

 generis

generis textus quoque in Jure Svevic. lib. 1. c. 12. §. 3. extat. Wir verbieten allen denen/ die in unserm Reich sindt/ daß sie keinen Zoll nehmen ohn unser Vhrlaub/ und wer es darüber thut/ der hat unser Huld nicht/ Wir sprechen/ daß alle Zölle/ und alle Nützungen/ die im Röm. Reich sindt/ die sindt eines Röm. Königes/ und wer sie will haben/ es sey Pfaff oder Ley/ der muß sie haben von dem Röm. Reich/ und wer das nicht thut/ der frevelt an dem Römischen Reich. adde Clapmar. de arcan. Rerumpublic. lib. 1. c. 21. Buxdorff. ad A.B. th. 91. lit. a. Quod tamen in Imperatore intercedentibus quibusdam Capitulationibus hodie ita determinatum, ut nec Imperator sine Septem-virorum consensu, quem ex capitulatione Cæsareâ cum Electoribus facta, videre est ap. Sleidan. lib. 1. Comment. fol. 27. nova telonia instituere vel antiqua augere valeat. adde Goldast. Tom II. Constit. Imperial. p. 141 Arum. discurs. 5. conclus. 8. Sixtin de regalib. lib. 1. c. 2. n. 43. Cluten. in syllog. rerum quotid. th. 22 Et expressè id quoque habetur in Recess. Imp. Ratisbon. anno 1576. Weiter sindt wir glaubhafftig berichtet worden/ daß etliche Stände ohne Unsern Keyserl. Consens, auch ohne Bewilligung Unserer und des Heil Reichs Churfürsten/ sondern für sich selbsten mit eigener That hin und wider im Heil. Reich Teutscher Nation zu Wasser und zu Landt/ theils newe Zölle anstellen/ theils ihre alte zu ersteigern angefangen/ etc. Quibus accedit novissima Capitulatio Ferdinandi *II.* de anno 1619 art. 17. Wir sollen und wollen auch insonderheit/ dieweil die Teutsche Nation und das Heil. Röm. Reich zu Wasser und Landt zum höchsten vorhin damit beschweret/ nun hinführo keinen Zoll von neuen auffrichten oder verhöhern ohne besondern Raht willen und zulassen der bemeldten Churfürsten. Quæ adeò in imitationem pertracta, ut nec Galliæ, nec Hispaniæ, nec Hungariæ, Daniæ, Poloniæ Siciliæque Reges sine Procerum approbatione nova tributa imponere possint. Præter Electores verò, quibus hoc jus in A. B. peculiariter concessum, plerosque etiam alios status, eandem facultatem & jus percipiendi vectigalia sibi acquisivisse videmus. Buxdorff. h. conclus. 21. Obrecht. de Regalib. §. 268. & seqq.

TH. IX.

TH. IX.

Liceret hâc occasione controverti illud, undenam vectigal justum sit dicendum? An si ex antiquâ consuetudine, an verò si ex Cæsareæ jussionis privilegio processerit: quæ duo conjungere videtur l. penult. C. vectigal. nov. instit. non posse, ita ut motus inde Accursius in l. munus propriè ff. de V.S. dixerit neutrum duorum sufficere ad id, ut vectigal dicatur justum, sed requiri utrumque conjunctim, jussionem scilicet Principis, tanquam titulum, & dein antiquam consuetudinem. Cujus tamen contrarium communis Doctorum opinio tenet, per Cynum, Bartolum, Baldum, Angelum & Salycetum, ita ut quamvis illi duo vectigalia legitimandi modi conjunctim enuncientur, alterutrum tamen sufficere, scil. vel Principis jussionem l. 1. C. h. t. vel etiam antiquam consuetudinem, l. Jmperat. §. item rescripserunt ff. de pollicitat. Adeò, ut opposita lex, vel disjunctivè sit accipienda, vel etiam illa duo æquiparationem recipiunt. Antiqua verò consuetudo ex immemoriali tempore determinanda (juxta Canonistas in cap. sup. quibusdam §. præterea X. de Verb. signif.) quod vim privilegii adeò obtinet, ut Imperator remisisse illam prohibitionem legis, & vectigalia permisisse censeatur, qui tamdiu nova vectigalia exigi passus est arg. l. cum plures, §. locatos ff. locati.

TH. X.

Denuò etiam Electores privilegiô de non appellando exornati, quod non minus splendoris ipsis ac reliqua privilegia addit, A.B. tit. 11. Jllud admonere stultum putat Ulpianus, quod à Principe appellare fas non sit, cum ipse sit, qui provocatur. l. 1. §. 1. ff. à quibus appell. non lic. Pertinet enim ad formam appellationis ut ab inferiore fiat ad superiorem. Treutler. disputat. volum. 2. disputat. 33. thes. 6. lit. a. Reink. lib. 1. de regim. secular. & Ecclesiast. c. 9. n. 38. & seqq. Erant tamen & alii, quibus id ex singulari concessione competebat. Sic cum primum Dictator crearetur, ab eo provocare non licuisse Liv. lib. 2. c. 29. docet. Postea mutatâ iterum Reipubl. formâ, cum Principes pro more, quo Dictatores Magistros equitum creare solebant, Præfectos Prætorio sibi adsci-

adſciviſſent, his incunabulis initiata eorum autoritas, tantùm meruit augeri ut appellari ab iis non poſſet. l. un. ff. de Offic. Præfect. Prætor. Pari ratione, nec à Proceribus Sacri palatii l. 34. l. 37. §. fin. C. h. neque à Præfectô Auguſtali Novell. 23. 53. appellatio dabatur. Noviſſimè per ſanctionem A. B. id ad Septemviros quoque relatum, ut ab iis provocatio non daretur. Weſenb. ad tit. à quibus appellari non licet. Cujus privilegii duo inprimis capita quidam eruditorum ſummi memorant, quorum alterum de non evocando, alterum de non appellando agit. Quamvis enim Juſtus Zinzerling. in diſſertat. de appellation. concl. 70. hæc pro unô eôdemque venditet; videtur tamen vel ex ipſis hujus privilegii verbis convinci poſſe, quod habetur tit. 11. §. ſtatuimus etiam, & §. Adjicientes expreſsè. &c. ex quibus non poteſt non inferri, quod alterum privilegiorum, ne ſubditi & incolæ Electorum ad extraneum evocentur tribunal, primam potiſsimum concernat inſtantiam, alterum, quo ipſimet etiam obligentur ſubditi, ne ad aliud tribunal appellent, ad ſecundam pertineat. Quam differentiam etiam privilegium Ferdinandi, ſub dat. 12 Octobr. Anno 1559. in Comitiis Auguſtanis Sereniſſimo Saxoniæ Electori exhibitum notat, conjunctim & evocationem & appellationem enunciando: Es were auch Unſers Vorfahren am Reich Weylandt Keyſers Sigiſmunds Hochlöbliches Gedächtniß privilegium vorhanden/ damit ſeine Liebde/ als Röm: Keyſer/ die Chur und Fürſten zu Sachſen ſonderlich begnadet/ darinnen verſehen/ daß niemand des Hauſes zu Sachſen Unterthanen für das Gericht ziehen und laden ſolten/ welches auch auff die Appellationen. daß dieſelben niemandt von ihren Gerichten/ an andere Orthe fürnehmen ſolte/ jederzeit verſtanden worden. Habetur id apud Ayrer. part. 2. proceſſ. hiſt. c. 4. obſervat. 2. ap. Lymnæ. Jur. Public. lib. 3. cap. 10. Quod tamen privilegium ferè nomen ſuum amiſit, & in Jus commune ad reliquos quoque Imperii Status ac Proceres extenſum tranſiit, probante id ſatis ſuperque juramentô, quod Rex Romanorum ſe ſubditos ſtatuum Imperii ordinariis judiciis relicturum præſtat, in Capitulatione Cæſareâ: verſic. Wir ſollen und wollen auch die Churfürſten/ Fürſten/ Prælaten/ Graffen/ Herren von Adel/ auch andere Stände und Unterthanen des Reichs ꝛc. Arum. h. concluſ. 11.

TH. XI.

TH. XI.

Pinguius est alterum Electorum privilegium, de non appellando, cujus vigore subditis vel incolis Electorum adempta facultas appellandi à quibuscunque sententiis, ab ipsis vel officialibus eorum approbatis. §. Adjicientes expressè. Credidit enim Imperator, qui ob singularem industriam exploratâ eorum fide & probitate, ad hujus officii magnitudinem adhibentur, non aliter judicaturos pro sapientiâ ac luce dignitatis suæ, quam si ipse foret judicaturus. l. un. §.1. ff. de offic. præfect. Prætor. Quamvis verò universi & singuli Electores hoc privilegio specialiter fuerint donati, quoad Electores tamen Ecclesiasticos & Palatinum non utendo, sive quo aliô modô privilegium de non appellando in fumum abiit. Heig. quæst.4. n.31. Cui sententiæ contrariam tenet Lymn. Jur.public. lib.3. c.2. n.9. & in not. ad Otton. Jur. public. c.XI. p.256. quod licet Ecclesiastici & Palatinus appellari à se patiantur, illud tamen arbitrarium sit, & salvô ipsorum privilegiô fiat: Videntur tamen planè iterati ejusmodi actus præjudicare huic privilegio, quod quamvis sanctione Caroli IV. confirmatum, pro fundamentô tamen præscriptionem & longam consuetudinem agnoscit, quo se expressè A.B. refert. tit.8. Paria verò sunt generationis & corruptionis principia, ac ad jus commune astringi velle præsumitur, qui concessô privilegiô non utitur. Saxoniæ verò Duces appellari à se non patiuntur, quibus privilegium illud à Carolo exhibitum specialiter stabilitum à Sigismundo, & plenius adhuc à Ferdinando I. Peucer. lib.5. Chron. Carion. Adde, quod Electores Saxoniæ sint defensores Juris Saxonici, cujus in Camerâ Imperiali nulla ratio habetur, ita ut fas non videatur, subditis Electoralibus Saxonicis provocationem ad aliena judicia intentare. Wesenbec. ad tit. à quib. appellar. non lic. Ex jure tamen communi supplicationis beneficium superest, Quia & beneficium der Oberleuterung: quod in inferioribus judiciis non admittitur, in supremô verò Judiciô Electorali Saxonicô quasi in locum supplicationis vel appellationis successisse videri potest. add. Novell. Electoral. Aug. p.1.C.19. De formâ leuterationis sive petendæ declarationis, aut mutationis sententiæ, vid. Treutl. volum. 2. disp.32. p.282.

TH. XII.

Neque tamen negandum, quod præter Electores hoc privilegium ad alios quoque transierit. Pro Ducibus Austriæ pugnat Constit. Friderici I. & II. Daß von ihnen an einen Röm. Keyser und König/ noch an des Reichs Cammer Gericht / oder andere Gerichte nicht appelliret, suppliciret noch redimiret werden kan. It. Daß sie umb keine Sache schuldig seyn/ vor dem Reich zu Recht zu stehen/ sie wollen denn gerne/ sondern sie mögen einen Ihrer Lehen-Leute setzen/ vor demselben sollen sie dem Rechten Gehorsam und Stadt geben. quæ verba sunt Constitut. Caroli V. von Gerechtigkeit des Hauses Oesterreich. §.10. quam Cuspin. promulgatam dicit in Austr. in Comit. Wormat. 1522. Goldast. part. 1. Const. Imperial. Quod privilegium etiam ad Duces Burgundiæ & Lotharingiæ referendum tradit Mynsing. 5. observat. 58. Treutl. d. l. Electoribus verò, qui id amiserunt, illud tamen remansit, ut infra certam summam appellare ab iis non liceat. In curiâ Electorali Moguntinâ appellare non licet, nisi causæ valor ascendat ad summam 400. floren. ex privilegiô anno 1521. collato. in Trevirensi ArchiEpiscopo interdicta appellatio in causis momentaneæ possessionis & aliis 500. florenos aureos non excedentibus. Quale quoque privilegium est illud Coloniensis de anno 1570. ap. Lymn. Jur public. lib. 3. c. 6. Quod ad Imperatorem verò, licet ab eo ad Superiorem Judicem provocari non posfit, ab informatô tamen malè, ad melius informandum appellatio datur, ita tamen, ut hæc provocatio veræ propriæque appellationis nomen demereri non posfit. Neque enim ab unô ad eundem appellatio permittitur. argum. l. ille, à quô 13. §. 4. ad Trebell. Sed fiat per modum regressus & supplicationis, dum scil. ipsius Cæsaris benignitatem imploramus, ut attentius velit pleniusq; negotium cognoscere. vid. Otton. cum ibi adductis Jur. publ. c. XI. p. 360. König. Polit. lib. 1. c. 23. n. 138.

CAP. V.

CAP. V.

Ad Electores in specie jam deveniens, & quidnam Ecclesiastici singulare habeant, inspiciens.

TH. I.

HActenus prosecuti paulò prolixius, quæ ad privilegia Electorum in genere spectant, nunc quoque admonendi sumus, ut specialiter de quovis dispiciamus. Ac quidem sicut summa Electorum divisio in Ecclesiasticos & seculares: ita primâ fronte Ecclesiastici, qui ArchiEpiscoporum Moguntini, scil. Coloniensis & Trevirensis nomine absolvuntur, se tractandos nobis offerunt, ut quibus A. B. primatum & ordinis & dignitatis defert. Quæ eò felicius expediemus, si primam Episcoporum rationem reperamus. Et quidem adstrui potest bonâ fide Episcopos ab initio Christianæ Ecclesiæ, non solum nullam Jurisdictionem habuisse, quam natam demum ex ordinis Presbyterialis & Episcopalis distinctione, & Principum Christianorum indulgentiâ, Walo Messalinus in dissertat. de Episcop. & Presbyt. demonstrat, sed etiam Magistratui Politico paruisse, teste Marc. Anton. de Domin. lib. 6. de Republ. Ecclesiastic. cap. 4. quod Clotharii II. & Chariberti decreta de Episcoporum electione, & depositione satis loquuntur ap. Goldast. Tom. I. Constitut. Imperial. p. 11. A Constantinô verò primum fluxit, quod vires caperent, ut qui cæteros per Imperium Episcopos & Romanum mirum quantum locupletavit. Cui Synodi Nicenæ decretum accessit, quo Occidentalium Ecclesiarum inspectio Episcopo Romano, ut Asiaticarum Antiocheno, Africanarum Alexandrino, demandata est. Cujus generis ferè ab ipso Constantino sanctio processit, qui cum Byzantium Severi armis dirutum, instaurâsset, dignitatem & auctoritatem ejus stabiliturus, cæterarum urbium post Romam Principem fecit, & Metrophanem Episcopum Patriarcham salutavit, sed tamen, ut propter Imperii originem & Romæ antiquitatem honore & auctoritate præstare Episcopum

Romanum voluerit: teste *Zonorâ*. Indè quidem factum ajunt, ut Patriarchæ Constantinopolitani Oecumenici dicerentur, quemadmodum hunc titulum sub tyrannide Turcicâ retinent. Idem Patriarchæ nomen à Justinô Cæsare Hormistæ Episcopo Romano primum tributum Isiodorus scribit. Alexandrino autem & Antiocheno, Episcopis Justiniani Cæsaris temporibus Oecumenicæ Synodi quintæ decreto obvenit. Unde mox de principatu contentionibus natis, hoc accidit, ut Synodorum quoque decretis post sedem Romanam primæ partes Constantinopolitano Patriarchæ assignatæ fuerint. Alexandrinus verò *κριτὴς οἰκυμένης* appellabatur. Postea cum Hierosolymitanum, Antiochenum, Alexandrinum & Constantinopolitanum Patriarchas arma Saracenica & demum Turcica oppresserunt præter nomen & successionem vix aliud relictum est, quo censeri potuerint.

TH. II.

Carolus M. cum inceptum à Parente bellum pertexuisset, ac Longobardis Imperium Italiæ liberâsset, ad eum id pervenit, ut per singulas provincias ArchiEpiscopos & Episcopos institueret, & nisi ab eo laudarentur & instituerentur, à nemine sacrarentur. Sigon. de Regno Italiæ lib. 4. Quæ dignitas confirmata etiam Othoni Magno, ut in perpetuum facultatem haberet, eligendi ArchiEpiscopos seu Episcopos, qui investituram ab eo accipiant & consecrationem. Sigon. lib. 7. de Regn. Ital pag. 170. Goldast. Tom. I. Constitut. Imperial. p. 222. Nihilominus crevit ab hoc puncto secularis nimium Episcoporum potestas, cum Imperatores, quicquid Principibus detraherent, id Clericis adjicerent, adeò ut civitas tunc temporis indè denominaretur, cui Episcopus præsideret. In historiâ Landgraviorum Thuringiæ, c. 10. habentur hæc verba: *Wilhelmus* (fuit is filius Ottonis M. Imperatoris) *ArchiEpiscopus XIV. Thuringiam intravit, & in Erfordiâ multos nobiles pro defensione terræ locavit, quibus multa bona in Thuringiâ largitus est. Wilhelmo defuncto successit Rupertus. Hi ArchiEpiscopi rexerunt Thuringiam & Hassiam annis fermè 70 usq; ad Conradum II, Imperatorem.* & Paulus Langius

in Chronic. Citizensi. *Wilhelmo pater Otto post mortem Ducis Burchardi, qui ab Hungaris interfectus sine liberis obierat, dedit totam Thuringiam & Hassiam, cum plenò jure & dominiô ad honorem Dei & S. Martini Moguntinensis Ecclesiæ Patroni, Qui intrans dictas terras in possessionem suscepit, & Erfordiam tunc apertam muro cinxit.* De Episcopo Orgero Spirensi scribit Bruschius, *quod ab aulâ Imperatoris totus immunitatibus & liberalitatibus onustus Spiram accesserit.* Nec hujus loci est omnia recensere privilegia, quæ ab Ottonibus in Episcopales sedes promanârint. Theodorici de Niem adhuc & Sigonii de nimiâ hâc Imperatorum profusione testimonia adduxisse sufficiet. Ille quidem ita loquitur: *Pene omnibus cathedralibus Ecclesiis in Italiâ, Galliâ, Germaniâ, Burgundiâ & Lotharingia constitutis, multas civitates, castra, oppida, villas & multa alia dominia temporalia & Jurisdictiones donavit, & omnibus illis Ecclesiis propria insignia perpetua deputavit.* Hic verò lib. 7 de Regn. Ital. *Ecclesiasticorum bonorum magnitudo erat maxima tempore Ottonum præsertim verò Episcoporum, quorum & reverentia summa & jus semper in civitatibus fuit amplissimum.* Quæ satis demonstrant quæ præcipuè incrementa secularis Episcoporum potestas à tenuibus principiis cœperit.

TH. III.

Neque paris tamen omnes Episcopi dignitatis, sed gradus paulatim Episcopalis ordinis constitui ceperunt, ita quidem ut in quatuor tandem classes excreverint. Primus quidem locus fuit Patriarcharum, qui integræ alicui nationi plures provincias complectenti præsidebant, nec in Episcopos solum, sed etiam in ArchiEpiscopos imperium habebant. Paurmeister. lib. 1. de Jurisdiction. Imp. Rom. c. 8. n. 5. Alter verò locus erat ArchiEpiscoporum, quos universæ provinciæ plures civitates complectentis Ecclesiæ inspectioni præfuisse tradit Paurmeister. d. c. 8. n. 4. Præcipua verò inter eos dignitas Moguntini fuit, Coloniensis & Tre-

 virensis,

virensis, quibus novus splendor ab A.B. accessit, quæ illis inter Electores primatum defert & Archicancellariatum confirmat, quem non paucis abhinc annis obtinuisse creduntur. Institutum enim antiquitus ut Moguntinus in Germaniâ, Coloniensis in Italiâ, Trevirensis per Burgundiam, Lotharingiam regnum Arclatense & cæteras Galliarum provincias, quæ Imperio suberant Cancellarii essent. Onuphr. Panvin. lib. singul. de Comit. Imperator. c.6.

TH. IV.

Primum quidem quod constat circa tempora Caroli M. nomen Archicapellani & Archicancellarii frequentatum fuit, ut qui Cancellarios etiam Episcopos habuit. vid. Lehman. Chronic. Spirens. lib.2 c.7. In instrumentô fundationis Monasterii Campotonensis anno 774. legitur hæc subscriptio: *Amelbertus Cancellarius ad vicem Luperti Archicancellarii recognovi:* Crusius annal. part.1. lib.11 c.1. In diplomate manumissionis anno 908. nominatur *Ernestus Cancellarius ad vicem Theotmari Archicapellani* ap. Goldast. Alemannic. antiquitat. tom. II. part. 1. fol.37. in vita Ludovici Pii Archicancellarius Imperii Commentariensis appellatur; Evehebantur ad hanc dignitatem plerunq; Diaconi & Presbyteri, postea quoque Episcopi. Ad eorum curam pertinebat omnem Clerum palatii sub curâ & dispositione suâ regere, ac de omnibus negotiis Ecclesiasticis, sacrumque ordinem universum concernentibus cognoscere, ita ut iis inconsultis res ad Reges deferri non possent, nisi essent arcanæ, quæ nemini, priusquam Regi relevari poterant. In omnibus regni conciliis inter Consiliarios locum habebant, cumque Francorum imperium tria regna, Germanicum, Gallicum & Italicum comprehendebat, ut singulæ nationes negotia suâ linguâ possent proponere, ex singulis Archicancellarius creabatur, Hincmar. lib 6. cap.18. Quas sanctiones cum nec successores mutâssent, mansit dignitas Archicancellariatus usque ad Carolum IV. qui eum A. B. denuò confirmabat. Qui verò factum, quod hæc dignitas præcipuè ad Moguntinum, Trevirensem & Coloniensem fuerit translata hâc de re vid. conjecturam Panvinii de Comit. Imperat. c.6. De cô nondum

dum constat, undè capellani dicti fuerint. Quidam à capellâ, cujus nomine ipsorum consistoria veniebant, ortum putant, quod vocabulum ex Latinô & Græcô componunt, & capellas quasi capientes λαὸν dictas tradunt Zoes. ad Decretal. lib. 3. tit. 37. quam verò judiciosè, cuivis judicare in proclivi est. Alii etymologiam in cappâ Martini quærunt, quam Reges Francorum ob adjutorium victoriæ in præliis secum habere solebant, quam ferentes & custodientes cum cæteris Sanctorum reliquiis Clerici, Capellani ceperunt vocari Goldast. Tom. 1. Alemannic. antiquit. part. 1. p. 297. Zoesius d. l.

TH. V.

Præter Archicancellariatus dignitatem, communia quoque Archiepiscopi habent insignia, pallium scilicet, quo singulariter à Pontifice decorantur. Dicitur hoc Patriarcharum & ArchiEpiscoporum insigne, capit. significâsti, §. ult. de electione, quo alii inferiores uti non possunt, capit. 3. de usu & auctoritat. pallii, plenitudinem Pontificialis officii cum translatione dignitatis designans cap. in Gallica cap. nisi specialis & capit. cum sis X. de auctoritat. & usu pallii. Quæ tamen cum granô salis volumus accipienda, quod jus vocandi eligendique habeant, licet nondum à Pontifice pallium susceperint, aut confirmati fuerint. Nihil enim ante receptionem pallii dicuntur posse, scilicet eorum, quæ ordinis sunt, ut Zoesius declarat, ad lib. 1. Decretal. tit 8. Si verò in actu electionis considerantur, non tam, quà Ecclesiastici, sed quà Principes Imperii Germanici attenduntur: Mynf. centur. 5. observat. 58. Gail. 1. observat. 3. n. 1. Quo nomine aliquoties ipsos in A.B. indigitari patet abundè ex c. 1. pr. §. 2. 3. 5. & seqq. Sicut enim nihil planè absurdi, aliquam personam duplicem sustinere respectum; ita maximè spectanda illa qualitas, cujus respectu agere quis dicitur. Ut autem illud pallium paulo accuratius inspiciamus, ejusque figuram reputemus, fascia illa latitudinis trium digitorum, ex candidâ lanâ linoque confecta habens circulum humeros circumstringentem, & duas lineas seu chordulas ab utraque parte ante & retro pendentes, item quatuor cruces nigras, quarum una residet ante pectus, sequens retrò in humeris jacet,

ultima

ultima hinc indè brachia exornacht, cujus figuræ mysticum vide significatum apud Zœsium ad Decretal. 1. tit. 8, n. 1. Paratur autem hunc in modum: In die Agnetis Virginis, qui est 21. Januar. in templo D. Agnetis Romæ, cum in Missâ imploratur Agnus DEI, super altare ponuntur agni duo candidi, & basilicæ D. Petri Subdiaconis traduntur. Hi in pascua missi vernô tempore tondentur, ex eâ lanâ pallia texuntur, quæ in extremâ parte tenuibus laminis plumbeis firmantur. Ad hunc modum contexta deferuntur ad aram D. Petri & Pauli, ibi solennibus precibus recitatis, à summô Pontifice consecrantur, & per noctem relinquuntur. Manè Subdiaconi recipiunt, donec alicui ArchiEpiscopo deferri continget. Hinc ex corpore D. Petri pallium sumi dicitur. capit. significasti ad fin. extr. de election. Panciroll. thesaur. variar. lection lib. 1. c. 20. Hanc non magnæ rei mercem ArchiEpiscopi magnâ pecuniæ vi redimere coguntur, de quo potissimum expilationis genere passim gentium quærimoniæ extant, testantibus id imprimis nationis Germanicæ gravaminibus ap. Goldast, part. 1. der Reichssatzung fol. 216. Daß bey eines Menschen Leben auß dem eintzigen ErtzBischoffthumb Mayntz für die confirmation eines ErtzBischoffs siebenmahl 25000 fl. das ist zusammen / 157000. fl. gelieffert worden mit grossen Beschwerden der Unterthanen / welchen deßwegen Tribut und Schatzung aufferleget worden. Goldast. d. l. Dahero nicht ohne Uhrsach Jacobus ErtzBischoff zu Mayntz / als er jetzt sterben wollen / mit klagender Stimme gesaget / es kräncke Ihm nicht daß er sterben müsse / und sein vorstehender Tod schmertze Ihm nicht so sehr / als daß seine Unterthanen wieder für das pallium Schatzung geben müsten. adde Marcum Anton. de Domin. lib. 3. de Republ. Eccl. c. 11. p. m. 323.

TH. VI.

Hæc communia Electorum Ecclesiasticorum fuere: nunc singularia eorum examinabimus, quæ facillimè apparebunt si de singulis paulò accuratius dispiciamus. Ac quidem si ordinativam quoque eorum dignitatem attendamus primum se, Moguntinus offert, cui primas vel ipsa Caroli constitutio tribuit, quemadmodum vulgati versiculi habent:

Treviris

Treviris ætate, sed rerum proprietate,
Gaudet Agrippina, sed honore Moguntia prima.

Sunt qui hanc dignitatem Episcopi Moguntini altè à Pipinô repetunt, quem Bonifatium Episcopum Moguntinum, cum Childericus Imperiô abdicatus ac raso capillitio in monasterium detrusus fuisset, inunxisse & inaugurâsse Aventinus autor est. Cui tamen utcunque sit, cum supra hujus historiæ fidem in dubium revocaverimus, de eô certi sumus, quod ArchiCancellariatus officium pridem obtinuerit. Fuerunt ejus officio ascripti Germani, & qui Germanicô Jure ac civitate donati fuere, Pannones ac Sarmatæ, Goldast. in Dedic. Tom. I. Constit. Imperial. p. 5. §. Alterum constitutionis caput &c. Cujus intuitu Archivum Imperii publicum seu chartophylacium, quo publica Imperii documenta continentur, & Matriculam Imperii asservat. Rutger. Ruland de commiss. l. 5. c. 4. n. 10. Decreta Imperialia olim solus signavit. Limn. lib. 3. Jur. public. c. 4. n. 2. & si curia Imperialis in ejusdem Archicancellariatu celebretur, ipsemet super baculo argenteô omnia signa importat. Limn. d. l. Ex quo etiam fluit, quod Electores seu capitulum regnô vacante convocet, de quo A. B. tit. 1. Quod jus ab antiquo Moguntino competiisse judicare videtur. tit. 4. §. Cæterum quoties & quando &c. Quamvis id sine dubiô transire non possit, juxta ea, quæ habet Cuspin. in vit. Caroli IV. & Ruperti, qui hoc jus Palatini quondam fuisse planè affirmat. Indè quidam commune hoc Jus Palatini cum Moguntinô faciunt cujus modi sunt verba auctoris libri de Cæsareô & Regiô Jure citati à Schardiô de Origin. Elector. c. 9. *Palatino Rheni defuncto Imperatore Jus convocandi Electores cum ArchiEpiscopo Moguntinô commune esse. Illi quidem sub pœnâ proscriptionis, huic verò sub pœnâ Censuræ Ecclesiasticæ.* Contra alii hoc jus ad collegium Electorum pertinuisse sentiunt, vid. Marquard. Freher. in not. ad Petr. de Andlo lib. 2. c. 2. vel etiam alternativè Buxdorf. ad A. B. conclus. 17. sub lit. c. ita ut in tantâ dissentientium varietate quid certi statuamus, non habeamus. Id ex fide historicâ pro compertô habemus, Moguntini quondam fuisse creatum Germanorum Regem consecrare & inungere. Qui mos adeô à Pipinô

 usque

usque ad Othonem servatus, ut omnes Francorum Reges, qui medio tempore in Germaniâ regnârunt, & à Papa eos non contigisset, ab Episcopô Moguntinô consecrati fuerint: Si ceremoniæ hujus consecrationis apponendæ, mallem eas Sigonii quam meis verbis exprimere, quæ in vitâ Ottonis I. habet: Mortuo, inquit, „ Rege Principes Episcopique Germaniæ Aquisgrani convocati, „ legitimis suffragiis Regem aliquem ex suo corpore designabant, „ designatum verò in solio Caroli M. levabant. Ex aulâ indè in ba- „ silicam descendentem ArchiEpiscopus Moguntinus cum clero „ occurrens excipiebat, ac populus, qui frequens honesti specta- „ culi causâ circumstabat, Regem à Deo & populo lectum osten- „ debat. Indè antistes cum Rege progrediebatur ad aram, super „ quam regia insignia erant, atque primum gladium cum baltheo, „ deinde armillas cum chlamyde, tum sceptrum cum baculo por- „ rigebat, ac demum oleô sacro perfusum coronâ impositâ con- „ secrabat. Sigon. lib. 7. de regn. Ital. p. 176. adde Franciscum Mo- „ dium in Pandectis triumphalibus tom. 1. lib. 4. Cujus rei hanc imprimis causam assignant, quod Germaniæ metropolitanus & regni Cancellarius esset, eoque à scriptoribus horum temporum maximus Pontifex appelletur. Sigon. d. l. Onuphr. Panvin. de Comit. Imper. c. 7.

TH. VII.

Tempore verò, quo Otho I. electus fuit, primum controversiam natam constat, inter duos ArchiEpiscopos Coloniensem & Trevirensem, ad quem hoc jus pertinere debeat, cum Trevirensis id munus sibi vendicaret, quod Ecclesia sua cæteris antiquitate præstaret, Coloniensis verò, quod consecratio in suis finibus fieret, ut libro etiam 2. De gestis Othonis Imperatoris refert Vitichindus, qui ita scribit: *Cum quæstio esset Pontificum, in consecrandò Rege; Trevirensis videlicet & Coloniæ Agrippinæ, illius quia antiquior sedes esset, & tamquam à B. Petro Apostolo fundata: hujus verò, quia ad ejus diæcesin pertineret locus, & ob id sibi convenire arbitrati sunt hujus consecrationis honorem, cessit tamen uterq; eorum Adelberti Moguntini ArchiEpiscopi*

cunctis

cunctis notæ sanctitati. Atq; Moguntinus ipse more majorum, ipsum Othonem consecravit & coronavit. adde Sigon. d.l Goldalt. Constitut. Imperial. Tom.1. p.215. Fabric. Origin.Saxon. lib. 2.p.127. Quis autem Othonem II. coronaverit, incertum: nisi conjecturam Onuphrii sequi velimus, qui illud à fratre Gulielmo, qui tunc temporis ArchiEpiscopus erat, factum hariolatur. Othonem III. inauguravit Johannes Archiepiscopus Ravennas, Aquisgrani, cæteris fortè ArchiEpiscopis prælatus, quod ibi esset Apostolicæ sedis Legatus. Heinricum & Chunradum Moguntini inunxerunt, Heinricum IV. tertiumque Imperatorem Hermannus Coloniensis consecravit, cujus rationem Schafnaburgensis explicat: *Imperatoris, inquiens, filius Heinricus consecratus est in Regem Aquisgrani ab Hermanno Coloniensi ArchiEpiscopô, vix & ægrè super hoc impetratô consensu Luipoldi ArchiEpiscopi, ad quem propter primatum Moguntinæ sedis consecratio Regis, & cæteræ negotiorum regni dispositiones potissimum pertinebant. Sed Heinricus Imperator Herimanno ArchiEpiscopo hoc privilegium vendicabat propter claritatem generis ejus & quia intra diæcesin ipsius hæc consecratio celebranda contigisset* adde Sigon. lib. 8. de regn. Ital p 206. Hæc ratio amissæ dignitatis in Moguntino & devolutæ ad Colonienses, qui eâ etiamnum hodie vi A B. confirmatâ utuntur.

TH. VIII.

Illud Moguntinus retinet, quod inter Electores Decani vicem agat, veluti patet ex Epistol. Electorum ad Benedictum XII. Pontificem exaratâ quæ extat tom.1.scriptor. German. Freheri inter annales Rebdorffii fol 425. ut capitulum convocet, sicut suprà à nobis dictum, formam Juramenti Electoribus proponat A. B. c. 2. & in electione Regis Romanorum Coëlectorum vota requirat. tit.4 §.3.& ipse demum ultimò rogatus suum promat. d.§.3 quamvis id de jure antiquo secus esset, testante id auctore nuper allegato de Jur Cæsareo & Regio, ibi: *Moguntinus Cancellarius per Germaniam primam vocem habeto:* Schard. de Origin, Elector.

cap. 9. Illud adhuc aliquam difficultatem parit. *Annon, si tempore, quo fieri debeat hac convocatio, non existat, ArchiEpiscopus, Capitulo hac potestas sit concedenda?* Quod dixeris forsan per rescriptum Bonifacii IIX. ita loquentis: *Episcopali sede vacante potest Capitulum seu is, ad quem Episcopalis Jurisdictio tunc temporis noscitur pertinere, iis, quibus posset Episcopus, si viveret, ab excommunicationis sententiâ absolutionis beneficium impertiri* in cap. un. ext. de major. & obedient. in 6to. Scil. quia juxta Felin. in c. 1. n. 19. cum seq. de jurejurando: Sede vacante capitulum succedat tàm in temporalibus, quàm in Spiritualibus adeoque omnis Jurisdictio penes Capit. remaneat: Gail. 1. observat. 30. n. 10. 11. & 12. Sed utut hæc sint verissima de iis, quæ jure sedis ac dignitatis Episcopalis competunt: malè tamen ad jura extenduntur singularia, quæ non ex potestate Episcopali, sed aliô respectu ac intuitu Episcopo concessa fuere. Moguntino verè convocandi potestatem singulari indultu non tanquam Episcopo, sed Principi Electori Imperii competere sat manifestò ex tit. 4. A. B. §. præterea statuimus liquet. Ex quo benè concludit Arum. sede Episcopali vacante, Capitulum ad convocationem Electoralem nequaquam admitti. disc. 1. th. 24. Ac certè si ullô casu jus convocandi ad Capitulum devolveretur, id utique tum fieret, quando hôc in munere ArchiEpiscopus negligens aut remissius extiterit, ubi tamen Electores motu propriô etiam non vocati, pro fidei suæ virtute, quâ sacrum prosequi tenentur Imperium intra tres menses accedere jubentur Francofurtum.

TH. IX.

Trevirensis, quem meritò huic subjungimus, Episcopatus sui antiquitate imprimis gloriatur, quem in Galliis ab ipso Petro institutum quidam jactitant. Onuphr. Panvin. de Comit. Imperat. c. 6. Quo etiam in illâ cum Coloniensi contentione ad quemnam consecratio Imperatoris Germanica pertineat, nixus fertur. Sigon. in vit. Othonis I. Est non minima ipsius dignitas, quod Cancellarius per Galliam & regnum Arelatense audiat, quibus nomi-

nominibus non integra Gallia, sed quicquid ejus ad regnum Burgundicum pertinuit, quod seculo XI. Germaniæ jungi cepit, intelligitur. Complectitur autem Arelatense regnum Delphinatum Sabaudiæ à Sigismundo Ducatum factum, & tractum Sequanensem sive Burgundiæ Comitatum, & tractum Helvetiorum. Hoc regnum Rudolphus Rex Conrado Salico testamento tradidit, Conradus Germaniæ conjunxit. Huic Trevirensi primum in electione suffragium competit juxta A. B. tit. 4. Quod quamvis A.B. antiquis quoque temporibus ei competiisse doceat, contrarium tamen ex iis, quæ supra diximus constat, ubi hoc ad Moguntinum pertinuisse ostendimus, cui etiam adhuc, nisi hanc litem haberemus à Carolo determinatam, conveniret, quod Collegii Decanus audiat, quemadmodum etiam habent verba Landrecht/ lib.3. art. 57. Der Bischoff von Mayntz der hat die erste Stimme der Wahl/ der Bischoff von Trier die andere/ der Bischoff von Cölln die dritte Quam dispositionem observatam etiam in electione Maximiliani II. legimus, ubi primum Moguntinum à cæteris collegii hujus Septemviralis membris interrogatum, cuinam votum suum attribueret, dein cæteros quoque Moguntinum interrogasse. Adam. & Nicol. Heydem in elect. Maximilian. II. referunt ap. Goldast. Imper. Polit. part. 1. p. 184. Qualem locum in sessione obtineat id tit. 3. expressum, scil: ut sedeat ex opposito, & lineari directione versus Imperatoris faciem, utque in directâ diametrali lineâ ante Imperatorem vel Regem transeat, illis solummodò intermediis, qui Imperialia vel Regalia deportant insignia. A.B. c. 21. 22. &c. De quâ anomolâ sessione conjectura extat Arumæi discurs. 3. ad A. B. thes. 2. quæ tamen omninò non ad palatum Lymnæi Jur. public. lib. 3. c. 5. n. 15.

TH. X.

Illud adhuc circa Trevirensis electionem scrupulum movere solet, numquid jus suffragii per eum regno Galliæ acquiratur? Quem errorem quidem errasse perhibetur Gregor. Tholosan. lib. 6. de Republ. c. 13. n. 15. & lib. 7. cap. 15. n. 18. scilicet jus suffragii & electionis septemviralis in Imperio per id competere regno

Galliæ, quod ArchiEpiscopus Trevirorum, qui inter suffraganeos septem existit, ArchiCancellarius Galliæ prædicetur. Sed nescio annon vir ille aliquantum à scopô aberraverit. Scilicet si Trevirensis nomine Galliæ eligeret vel Gallorum, ad quid juraret sese electurum per fidem, quâ Deo & Sacro Romano Imperiô est adstrictus c.2. A.B. § 2. potius juraret per fidem, quâ Deo & Galliæ adstrictus. Nec verò Tholosano ipso teste Trevirensis unquam à Gallis eligendi mandatum habuit nec perindè eorum nomine eligere potuit arg. tit. 1. & 19. A. B. Joh. Limn. Jur. publ. lib. 3. cap. 5. Quod ad officium ArchiCancellariatus per Galliam tantum abest, ut inde Gallorum Regi aliquid acquiratur, ut potius ad Romanum Imperium hoc quicquid est regni pertinere manifestum faciat. Goldast. in Dedic. tom. 1. Constit. Imperial. p. 5. Denuò non ut Cancellarius sed ut Princeps & Elector Imperii jura suffragii Trevir exercet ut patet ex tit. 1. in princ. & §. 2 3. 5. & seqq. tit. 2. & 4. Igitur, quod jam ante monuimus, cum nihil absurdi inferat unam personam plures etiam sustinere respectus, quilibet actus erit judicandus, à qualitate, quæ eum producit. Adeò hâc disputatione Gallis parum prospicitur, quin potius defectus illorum ab Imperio Romano Germanicô clarior redditur. Absolutam quidem Gallorum ac nullis planè limitibus circumscriptam jactitant libertatem, per Baldum consil 217. volum. 3 ibi: *Ego puto, quod nemo præsumat honorem super vexilla invictissimi Regis Franciæ.* Et in consilio sequenti: *quod de personâ Regis Franciæ nihil aliud dici possit, nisi quod dicitur de Polo Antarctico, qui nostri non est Hemisphærii.* Idemque de prohibit. feudi alienat. loquendo de Rege Franciæ, prout refertur à Purpurat. in l. quæcunque de offic. ejus: n 115. dicit *quod sit supra omnes Reges, tamquam stella matutina in mediò nebulæ.* Sed verba quidem Baldi audimus, rem nondum expeditam videmus. Quamvis enim de factô Rex Franciæ Imperatorem non agnoscat, agnoscere tamen de Jure plerorumque est sententia. quemadmodum etiam gloss. tenet, in capit. per venerabilem, &c. qui sint filii legitimi. Quando enim textus dicit, quod Rex Franciæ in temporalibus superiorem minimè recognoscat, dicit glossa, de factô hôc procedere,

cedere, sentiens, quod de jure debeat recognoscere, cui etiam sententiæ plerique Doctores assensum largiuntur, præter illos, qui Regi Franciæ subditi, cui volentes blandiri illud dicunt, quod scil. neque de facto neque de Jure cognoscat. ad. Anton. Quetsam in tractatu suo elegantissim. utrum Romanorum Rex, an verò Christianiss. Franciæ Rex præcedere debeat.

TH. XI.

Si nostri jam esset hujus rei incunabula persequi, illud veluti fundamenti locô ponendum censeremus, conjunctos olim cum Gallis Germanos communi Celtarum nomine venisse, vid. quæ hanc in rem congessit Reinecc. Origin. Misenor. p. 198. 199. & 200. Imperatoriam verò dignitatem semper Germanos obtinuisse, certissimis classicorum scriptorum testimoniis probasse se putat Hieron. Gebvilerius. cujus hanc in rem tractatus extat apud Goldast. part. XX. Imperial. Politic. p. 839. Nec ipsimet inficiantur Galli Carolô Imperante Galliam ad Imperium Romanum pertinuisse, quod & in conventu Principum Fraxineus Orator Gallicus negare non potuit. Thuan. lib. 10. Ipse verò sive Carolsburgii, quod vult Aventin. lib. 4. Annal. Bojor. sive Ingelheimii, quod vult Cuspin. in ejus vitâ, natus fuerit, ubique eum Germanum fuisse relinquitur. Et numquid Sigismundus Carolum Franciæ Regem, suum fidelem appellat, eumque ex Imperiali officiô ad Concilium Constantiense requirit? in mandatô de annô 1413. quo Regem Franciæ ad d. Concilium evocavit. Goldast. Tom. I. Constitut. Imperial. p. 386. & 387. Nonne etiam Rex Franciæ ratione Burgundiæ & regni Arelatensis Imperatori fidelitatem debet? Goldast. in præfat. der Reichs-Handlung. Et expressum illud à Carolô IV. de anno 1355. in illâ cum Rege Franciæ ligâ. *Quod illustris Carolus Delphinus Viennensis primogenitus ejus, nepos noster charissimus, Delphinatum eundem & omnia ab eô dependentia, quæ Prædecessores Delphini Viennensis antiquitus à præfatô Romanô Imperiô in feudum tenuerunt, nunc etiam in feudum à nobis tanquam à Romanô Imperiô & verô suô Dominô*

cum

cum solemnitatibus & ceremoniis consuetis tenebitur, & debebit suscipere, nobisq́. præstare, vasallagii, fidelitatis & obedientiæ solitum juramentum &c. quod sub formâ simili Illustris Comes Burgundiæ comitatum suum Burgundiæ, à nobis tanquam Romanô Imperatore in feudum suscipere teneatur, & post declarationem hujus præfatus Rex Franciæ frater noster charissimus, nobis fide, quam suprà promisit, quod omnia prædicta effectualiter compleri debeant, & ad finem realem perduci sub omnibus illis conditionibus & modis, prout sunt superius declarata ap. Goldast. de actis Imperator. cum Rege Franciæ part. XX. Imperial. Politic. discurs. 4. p. 848. adde literas reversales prædicti Regis Franciæ super ligam loc. eod. p. 849. Gloriantur nihilominus Galli de superioritate absolutâ nec Imperatorem, nec alium quendam recognoscentes, quod jure etiam fieri And. Alciat. ex pactô Imperat. Justiniani cum Clotharió vel Theudiberto Gallorum Rege in libr. de singul. certam. c. 32. tenet, contra Zoanett. de Roman. Imperat. Herman. Kirchn. in legat. lib. 1. c. 8. n. 21. Adeò nos longè inferiores putamus, quam quibus judicii hebetudinem interponere & determinando litem Judices agere liceat, cum comparati erga tales viros ne pulvisculi quidem rationem obtineamus.

TH. XII.

Tertius ArchiEpiscorum est Coloniensis, qui ArchiCancellarius per Italiam audit, A. B. tit. 3. §. 2. hoc est, per regnum quod fuit Longobardorum, & reliquias veteris Imperii Romani, cui Goldast. Siciliam quoque cum cæteris provinciis accenset in dedicat. d. tom. 1. Suffragium suum statim Trevirensi subnectit, quod tit. 4. §. 3. expressum. & illud etiam singulare habet, ut Romanorum Regi primum diadema regium imponat. tit. 4. §. 3. Obtinere videtur id jure territorii, quod Aquisgrani hæc coronatio celebretur, quam rationem Onuphr. assignat, d. sæpius cap. 6. nisi quod illud acceptum quoque referat Heinrico IV. qui Herimanno ArchiEpiscopo hoc privilegium propter claritatem generis vendicabat,

cabat, teste Lambertô Schafnaburgense, aut quod quibusdam placere video, Heinrico III, quem Pelegrinum Coloniensem coronâsse refert Krantzius. Quod etiam Episcopi Germaniæ in Epistolâ nomine Friderici Ænobarbi Imperatoris ad Hadrianum IV. conscriptâ non obscurè loquuntur, quando ita scribunt: *Liberam Imperii nostri coronam divino tantum beneficio, adscribimus, electionis primam vocem ArchiEpiscopo Moguntino: deindè, quod superest, cæteris secundum ordinem recognoscimus, Regalem unctionem Coloniensi supremam verò summo Pontifici*, auctore Radevic. Frisingens. Canonico, qui Ottonis Frisingensis libros supplevit in vit. Friderici I. Imperat. lib. 3. c. 16. Quid circa beneficium appellationis habeat, id expressum in illô Maximiliani II. decreto sub dat. Spir. 19. Aug. ann. 1570. apud Lymnæ. Jur. public. lib. 3. c. 6.

CAP. VI.

Electores seculares in specie, & quænam eorum singularia sint, ad accuratiorem trutinam appendens.

TH. I.

INter seculares primatum obtinet Rex Bohemiæ cui A. B disertim in hoc ordine primum votum tribuit. Sunt planè qui statusei controversiam movere solent. Numquid etiam pro Electore sit habendus? quod expressis verbis negat Speculum Saxonicum lib. 3. art. 57. Der Schenck des Reichs hat keine Wahl/ darumb daß er kein Teutscher ist. Quæ quoque verba sunt Abbatis Stadensis in Annal. sub anno 1220. *Bohemiæ Regem Pincernæ munere fungi, sed non eligere, quia non est Teutonicus.* & Hostiensis in cap. venerabilem, extr. de electione & electi potestat. Regem Bohemiæ jus eligendi de factô usurpare ait. Sed ut prius rationem Speculi Saxonici removeamus, sat luculenter docuisse arbitror Goldastum in lib. 3. de regno Bohem. ex Tacito Melâ Solinô,

 Pliniô,

Plinio, Ptolomæo, Bohemiam Germaniæ portionem, Regemq́ Bohemiæ Germanum asseruisse, adeò ut verè scripserit Martinus Boregk, das Böhmerlandt ist eine Gegendt in Teutschlandt / in Chron. Bohem. cum quo etiam faciunt Albert. Krantz lib. 1. Wandal. c. 4. Thom. Lans. in Consultat. de princip. inter provincias Europæ in Orat. pro German. Joh. Cluten in syllog. rer. quotidian. concl. 24. lit. c. centumq́ue alii à Goldast. d. l. allegati. Fundamentum itaque cum lubricum admodum, necessum habemus, ut aliud nostræ sententiæ substernamus, quod sanctio Carolina ex abundanti suggerit: Ita enim tit. 4. *Tertio à Rege Bohemiæ qui inter Electores Laicos ex regiæ dignitatis fastigiò jure & meritò primariam obtinet.* It. tit. 7. *Sanè generaliter longè latèq́ est publicum, & quasi per totum orbem notoriè manifestum, Illustres Reges Bohemiæ, Comitem Palatinum &c. in electione Regis Romanorum in Cæsarem promovendi, cum cæteris Principibus Electoribus jus vocem & locū habere adde præfat. A. B.* Quæ sanè abundè satis Electoratum Regis Bohemiæ loquuntur, ita ut aliundè testimonia petere supervacaneum arbitror. Quamvis hanc in rem præcipuè adduci posset privilegium Rudolphi I. cujus quædam verba hic interspergere juvabit: *Extitit* (verba sunt Rudolphi,) *dilucidè declaratum, prædictum Regem Bohemiæ, & suos hæredes, in electione Regis Romanorum futuri Imperatoris, cum cæteris Electoribus habere debere, ad similitudinem aliorum Electorum eligendi plenarium jus & vocem. Volentes itaq́ dicti Regis & hæredum suorum dispendiis cavere jus & officium Pincernatus, in Imperiò sibi & hæredibus ejus, & non alii competere, & in electione Regis Romanorum, futuri Imperatoris, habere jus & votum, clarè recognoscimus, approbamus, & præsentium testimoniò profitemur.* Goldast. tom. II. Imperial. Politic. p. 86. In quo privilegio illud quoque nos edocuit Rudolphus, *hanc dignitatem Regis Bohemiæ progenitoribus, abavis, atavis, proavis & avis, purè & plenissimè competiisse* d. Constit. §. 3. Adeò ut vel solus hic locus sufficeret ad elidendos

eorum

eorum conatus, qui non ex antiquâ consuetudine, sed à Carolo demum Regem Bohemiæ in Comitiis Norimbergæ anno 1356. celebratis in numerum Electorum cooptatum & ascitum putant, contra A. B. tit. 7. §. 1. junct. tit. 4. §. 3. quam sententiam inter alios (quos adductos vide à Goldast. in Regn. Bohem. lib. 3 c. 5. n. 11.) quoque fovet Krantzius lib. 4. Saxon. c. 25. & lib. 9. c. 26. quem maximè fefellisse videtur vulgaris illa & trita ab Ottone III. facta Electorum enumeratio, in quâ Rex Bohemiæ ultimô assignatur locô. Quod tamen non ordinis caussâ factum, benè monet Goldast, sed quia Rex Bohemiæ licet primus Electorum, postremò tamen solet officium suum Pincernarium in Curiâ Imperatoriâ deservire, quemadmodum videre est A. B. tit. 25. adde Goldast. lib. 3. Bohem. c. 5. n. 13. p. m. 295.

TH. II.

Haut tolerabilior est eorum error, qui Regem Bohemiæ, nonnisi cum Electorum suffragia æqualiter divisa inter se dissenserint, ad electionem Regis Romanorum admittunt, quo arbitri vicem sustineat: Quæ sententia cum aliis Ptolomæum quoque Lucensem & Dubravium Bohemicæ historiæ scriptorem autores habet. Ille quidem citatus à Platinâ in vitâ Gregorii V. ita scribit: *Sunt qui scribant, Bohemiæ Regem, septimum Electorem, Imperatoris Pincernam esse: hisq; in eligendo additum esse ad tollendam discordiam partium. Ad utros enim inclinâsset, ea pars certè potior habebatur: hic verò lib. 6. Additus tamen sex illis Principibus, ait, Bohemus fuit Elector septimus ad tollendam discordiam, quæ inter pares numero pari suffragiô concurrente nonnunquam intercedebat*, adde omninò Fabricium de Illustribus Saxoniæ Ducibus & Elector. Imper. narrat. pag. 7. Cujus asserti fundamentum plerunque in glossâ Landrechts lib. 3. art. 57. ponunt, ex quâ rythmi vulgares compositi:

Ich bin der Churfürsten Oberman/
Weil man nicht wohl eins werden kan/
Und wenn sich etwan in der Wahl
Zutrüge ein Zwietracht dazumahl/
Welchem ich dann die Stimme mein
Thue geben/ der soll Keyser seyn.

Sed audiamus quæso Decretum S. Romani Imperii Electorum anno 1356. in Comitiis Metensibus publicatum, ex quo satis superque elucescit, quid Imperator, Electores, & communes Imperii Ordines de Jure Saxonicô & Doctorum glossis, in quibus se illa opinio jam tum fundare cœpit, senserint, definierint, judicârint. Sic enim illi decernunt; *Sanè licet de Juribus Serenissimi Principis, Domini Regis Boëmiæ Illustris, Cöelectoris, Comprincipis & Collegæ nostri, nulla sit Juris vel facti dubietas, quia ipse ab atavis, proavis, avis & progenitoribus suis, ad instar nostri & quorumlibet aliorum Cöelectorum, Principum, in electione Romani Regis ad Imperium promovendi plenô Jure fretus sit hactenus & fruatur, sicut hoc luce clarius semper apparuit ab eô tempore, cujus apud homines memoria non existit; tamen nonnulli filii tenebrarum oculis cæcutientibus à divinâ luce remoti, in meridianâ claritate palpitant, sicut in noctibus, & offendicula laqueosq; præparant iniquitatis & sceleris, Diabolicâ invidiâ suggerente, jugum veritatis deferre pro mole gravissimi ponderis coagulati mendacii nequeuntes. super ipsos offendiculos corruunt, & suorum laqueis iniquorum conceptuum se involvunt, ut lucem tenebras judicent, & tenebras ipsam lucem, quæ retulit Goldast.* in Bohem. lib. 3. c. 5. n. 12. Quod verò ad illud Ottonis IV. decretum, in quo dicta modò disertim firmantur, ap. Goldast. Tom. III. Constit. Imperial. p. 371. illud fictitium esse, sibique à Freherô impositum d. modo locô n. 9. fatetur, seque daturum operam, ut expungatur ex locô, quem injustè occupaverit. Quamvis autem certum temporis punctum non habeamus, quô hæc dignitas Bohemiæ competere ceperit, competiisse

perdisse tamen ab antiquo vel ex dictô modô Rudolphi I. privilegio constat. Illis antiquorum Saxonum ineptiis potiorem habeamus Carolinam sanctionem, quæ ad antiquam semper consuetudinem provocat, & Regi Bohemiæ in ordine Electorum tertium, & inter Laicos primum tribuit votum. tit. 4. §. 3. Quæ majorem habebunt lucem, si quid in Caroli V. Ferdinandi I. Maximiliani II. Matthiæ, Ferdinandi II. & Ferdinandi III. nunc Cæsaris invictissimi electione peractum fuerit perspexerimus, de quo fidem faciunt Protocolla, Decreta & intimationes apud Goldast. part. 1. Politischer Reichs Händel. c. 5. tit. 24. & 31. c. 8. Reichssatzung. part. 2. de anno 1531. id. in Bohem. lib. 3. c. 6. n. 21.

TH. III.

Positum ergò extra controversiam, quod Bohemus in Collegiô Electorali votum obtineat, si quis quærat, num etiam sit status Imperii, procliviores sanè in negativam simus quam in affirmativam. Quod quamvis primâ fronte non videatur, apparebit tamen si paulò intimius in naturam status Imperii introspiciamus. Dicuntur sanè status Imperii Reichs Ständе ab eo, quod statum & locum votandi & sedendi in Comitiis Imperii habeant, ita ut hâc quasi unicâ & propriâ notâ status ab aliis Imperii subjectis discernantur. Recess. ann. 1512. in princ. 1555. §. Dieweil ꝛc. anno 1576. in princ. Paurmeister de Jurisdict. lib. 1. c. 8. n. 3. adde Arumæ. de Comit. c. 4. n. 1. Inde notanda nobis venit sententia Goldasti (qui pro contrariâ acerrimè pugnat) qui cum Rex Bohemiæ non tantùm Princeps Imperii sit, sed etiam principale membrum, consequi putat, ut etiam status Imperii existat, cum sine principali membro corpus nequeat stare, aut integram retinere substantiam, lib. 3. Bohem. c. 3. n. 4. Non enim repugnat aliquem esse immediatè Imperio subjectum, nec tamen statum Imperii, quod loquitur Recess. ann. 1564. §. Und wollen wir ꝛc. ibi: gegen denen/ so nicht Ständе des Reichs / jedoch dem Heil. Reich immediatè unterworffen/ diese Constitution exerciren. Sed inquies illud Bohemo quoq; per A.B. sanctionem tributum, ut quæ generaliter Electores nullô exclusô ad Conventus singulis annis,

 post

post Festum Paschatos ob utilitatem regni celebrandos invitat, tit.12. Quod quamvis non negandum sit, per A,B, Bohemo competere, per contrariam tamen observantiam ab hôc Jure recessum est, dum fermè ducentis ab hinc annis Comitiis non interfuerit, ac ullis Recessibus Imperialibus subscripserit, ipsomet fatente Goldasto lib.4. Bohem. c.5. Adeò quidem hodiè maximâ ex parte diremptam hanc controversiam puto, quando in Electorum conventu, anno 1611. Norimbergæ instituto litem hanc gravissimô præjudiciô, & quidem in contradictoriô judiciô decisam nullamque Dn. Matthiæ Regis Bohemiæ Legato sessionem in conciliô concessam novimus, Quibus in terminis rem hodiè permanere d. modô fatetur Goldast. lib.4. c.6. Quare nec postea in Conventu Electorum Collegiali Mülhusii Thuringorum anno 1610. celebratô Ferdinandus II. tum temporis Rex Bohemiæ consultationibus interfuit: qui nec admodum laboraverit, ut admitteretur, tametsi multò plus ejus interesset, quam Regis Matthiæ, propter contradictionem Bohemorum, & quæstionem status ab illis motam. Goldast. d. c.6. in pr. Similiter in nuperrimô Conventu Electorum collegiali anno 1636. Ratisbonæ habitô Regem Bohemiæ Ferdinandum III antequam ad deliberationem de Electione Regis Romanorum accederetur, ad consultationes non admissum fuisse, ab iis, qui conventui interfuerunt percepimus. Eaq; proculdubio causa est, quod in membro hôc Capitulationis Cæsareæ, quo Comitia Electorum particularia probantur & confirmantur, nonnisi sex Electorum mentio fiat, exclusô scilicet Bohemiæ Rege in verb. Wir lassen auch zu/daß die gedachten sechs Churfürsten/ zu Ihrer Notthurfft auch so beschwerliches obliegen haben/ zusammen kommen mögen. 2c. Quod & in Capitulatione Carolo V. præscriptâ factum tradit Goldast. dict. c.6. n.22. plura qui hâc de re cupit adeat Arum. de Comit. c.4. Carpzov. in Commentar. de Leg. Reg. German. c.5. section.8. & 9. & semicentur. quæst. Illustr. disputat. 5. feud, q.2.

TH. IV.

Regi Bohemiæ si jam Palatinum subjungamus admonendi prius illud sumus non minimam fuisse in Imperio multis ab hinc annis

annis Palatinatus dignitatem. Peucerus Burggraviis antiquiores facit Palatinos, eorumque officium fuisse existimat, bello partis paratisque provinciis jus dicere, vel Romanorum veteri more, vel Francorum etiam consuetudine in Chron Carion. lib. 5. p. m. 47. apud quos præcipuè Palatinorum alii majores erant, ad quos totius regni cura spectabat, Hincmarus lib. 3. c. 32. Alii minores, qui officia domus augustæ administrabant. Idem c. 33. Quantum ad originem hujus vocabuli, diversæ circumferuntur autorum sententiæ, quas recensere sicut instituti ratio non patitur, ita maximè audire juvat. Marquard. Freherum lib. 1. Origin. c. 2. ubi quid judicii hac de re habeat his fermè expressit verbis: *Est, inquit, Palatinatus merum nomen officii & dignitatis, quod Imperatores Germani instituerunt, ut alia ei similia. Et ut à Burgo sive castro præsidioq; factus est Burggravius, à Marcha vel limite Margravius, à Landâ vel Provinciâ Landgravius: Ita & à Palatio vel curiâ Pfaltzgravius Pfaltzgreve, ut olim scribebant*, Hactenus Freher. Pfaltz enim idem, quod Palatium, sive curia Paul. Matth. Wehn. in observat. Practicis verb. Pfallentz p. 548. Unde Goslaria fuit appellata eine Pfaltzstadt / quod in eâ curiâ Imperat. solebant conscribi. Henning. Arnis. de Jur. Majestat. lib. 2. c. 4. n. 15. Ubi verò hæc dignitas hæreditaria facta est, & in Germania Comites Palatini de Principatu seu regione, quæ in Palatinatum zu einer Pfaltzgraffschafft erecta Reinking. lib. 1. de regim. Secul. & Ecclesiast. c. 13. n. 18. investiri cœperint, Palatinis præcipuè Rheni non minimus indè accessit splendor, quod A. B. sedem ipsis & votum inter Electores deferat. tit. 4. An Electoratus Palatino Rheni, an verò Duci Bavariæ competierit, gravissimè disceptatum inter Gewoldum & Freherum, quibus etiam id relinquimus, cum utique ex tritâ illâ sub Ottone III. instituta Electorum ratione profluxerit.

TH. V.

Ad privilegia jam respicere cogimur & dignitates, quas ex sanctione Carolinâ habet. Votum quidem quartum obtinet, & ad dextrum Imperatoris latus post Regem Bohemiæ assidet, quod

tit. 4.

tit.4. expeditum. Officii ejus est in processione solenni aureum pomum ante Imperatorem gestare c.21. & dum solennes curiæ celebrantur, quatuor scultellas argenteas cibis impletas portare, & ante Imperatorem in mensâ reponere, tit. 25. Præcipuum tamen illud putem, quod coram eo Imperator, sive Rex Romanorum conveniri possit, & de justitiâ respondere teneatur, tit.5. nec concurrit cum eo Serenissimus Saxo, ut falso existimat Politicus Gallorum Bodinus, lib.2. de Republ. c.6. n.224. Originem hujus juris Marquard. Freherus in antiquâ Comitivâ Palatinâ locat, ad Petr. de Andlo lib.2. c.10. Olim quippe præfectum Palatii in aulâ regiâ, & Prætoriô Francorum omnes, nullô penitus exceptô judicâsse legimus, ita ut ipsemet Princeps, si ab aliquô se conveniri pateretur, coram hoc Judice se sisteret. Nec abnuit Speculum Svevicum lib.2. c.43. §.6. Wann die Fürsten dem König wollen beklagen/ so er Jhm wider Recht thut/das sollen sie thun für dem Pfaltzgraffen. It. Der PfaltzGraff vom Rhein ist zu recht Richter über dem König/ und davon hat die Pfaltz viel Ehre. Ad quos verò casus trahendum sit hoc judicium cum generaliter nimis loquatur A.B. admodum nituntur Doctores. Quidam cum grano salis hæc accepta volunt & ad causas tantum civiles referunt, Vultej. in l.1. n.7. C. ubi Senator vel Clariss. Hering. de fidejussor. cap.7. n.291. Sunt tamen qui ad criminalia quoque propter generalitatem verborum id extendunt, scilicet si agatur de causâ depositionis. Missis enim ineptiis Juris Saxonici: Weichbildt lib.1. art.5. ubi dicitur, in gloss. fin. Man soll über Jhm richten/ und soll Jhm das Haupt mit einer güldenen Parthen abhauen über eines Schildes Randt: subsistimus in exauctorationis Judicio, à quo tamen reliquos Electores non exclusos velim. Ad quos enim Jus electionis spectat, ad eos etiam depositio pertinere debet. Quod manifestum in depositione Wenceslai, quam omnium Electorum consensu factam, instrumentum hanc in rem à Moguntino conceptum loquitur, apud Goldast. Tom.1. Constit. Imperial. p.379. Indè sufficiet quod Præses & director in judicio exauctorationis audiat. Quo nomine primus etiam mihi subscripsisse videtur in depositione Wenceslai apud Goldast. d. l. Et anno 1300. Comitem Palatinum Rudolphum Electores ad Judicium vocâsse dicuntur, contra Regem Albertum

bertum quem abdicare Imperiò constituerant, eligentes ipsum pro Judice, quia officium esset Palatinæ dignitatis de causis, quæ Regi moverentur, cognoscere, Heinric. Rebsdorf. in annal. de anno 1300.

TH. VI.

Ex hoc verò capite ostendere præcipuè inferioritatem Imperatoris laborat Bodin. lib. 1. de Republicâ. cap. 8. quem reprehendunt Arum. h. discurs. 3. conclus 45. & Limnæ. lib. 3. c. 9. n. 43. opponentes ipsi exemplum Regis Galliæ, qui à Parlamento, quod supremum est Lutetiæ, Jus sibi patiatur dici, nec tamen contra præcellentiam regiæ majestatis, ipsomet fatente Bodino lib. 3. de Republ. c. 6. n. 315. nec non Electoris Saxoniæ, qui ratione Præfecturarum coram Curiâ Lipsiensi agit & convenitur, Zanger. de Exception. part. 2. c. 1. n. 142. & reliquorum Saxoniæ Ducum, qui parili modo ab Assessoribus Curiarum supremarum jus sibi dici patiantur, Regis Bohemiæ, cui Judices sunt in Silesiâ, qui Judicio Vratislaviensi præsunt. Nicol Henel. in Silesiographiâ pag. 97. Schrad. de feud part. 10. section. 1. n. 13. Sed quod cum Pace tantorum virorum dixerim nescio an satis assecuti sint, quod se quidem assecutos putant. Sicut enim in omni contractu duo inprimis concurrunt communia scil: & propria: ita quoque Princeps interdum naturaliter tantum obligatur, interdum simul etiam civiliter. Priori modo obligatur quivis, qui summæ rerum præest, ad quærenda suorum subditorum commoda, quod esse boni Principis niduletur in eô, ut primario subditorum suorum commodis velificetur. Sicut autem naturalis hæc obligatio inefficax ut producat actionem, ita quoque in Principe nullam inferioritatem introducit, Ubi verò Princeps se civiliter obligat etiam ad pœnam, sanè recognoscit superiores, à quibus ad pœnam trahi possit, sicubi deliquerit. Ut enim aliquis ad legem possit astringi, & vis coactiva legis exerceri sanè superior requiritur, à quo talis vis prodeat. Utut igitur Imperator summus sit, si ad quosvis in Imperiô disjunctim sumptos respectus habeatur, non potest non recognoscere dari quosdam superiores, à quibus ad pœnam trahi potest. Superius autem agnoscimus Imperium, seu membra Imperii con-

M junctim

junctim ita dicta, quibus non ut singulis, sed ut conjunctim sumptis, hæc potestas competit. Ne igitur Bodini sententiam audiamus, qui planè Aristocratiam somniat, & nescio qualem tandem inferioritatem in Imperatore delirat, ita magis in eorum sententiam inclinemus, qui mixtum nostrum Imperium ex Monarchiâ & Aristocratiâ volunt.

TH. VII.

Nunc Serenissimum Saxonem producimus, cujus illustris familiæ meritò antiquitatem miramur, quod à Wittekindô Magno Saxonum Duce, qui cum Carolo M. acerrima bella gessit, per Ditgremum nepotem indubitata propagine fuerit producta, amplitudinem, quod præter Duces Saxoniæ, Reges quoque Daniæ, Duces Holsatiæ, Francorum item Regum & Sabaudiæ Ducum familiæ indè descendant, denuò etiam dignitatem, quod multos Imperatores, scilicet Heinricum Aucupem, Ottones, Heinricum cognomento Sanctum dederit. Arborem consanguinitatis vid. in opere Genealogicô Reusneri, & apud Spalat. in Chronic. Orig. Saxonic. ibidem ab Hortledero emendatam, unde petiit Lymnæ. quæ Juri suo publico insereret, imprimis Reinecc. in expositione de primis Misniæ Marchionibus, quam subnexuit Chronic. Dithmar. Fabric. Orig. Saxonic. Dignitatem Electoralem primum fuisse apud Duces Luneburgenses posteros Hermanni Billingi, magno historicorum consensu proditum est. Indè venit ad Lotharium Comitem Supplenburgium, postea Imperatorem. Hic quia sine hæredibus erat, Ducem Heinricum Bavariæ Ducatui & Electoratui Saxoniæ competivit. Hujus filius Heinricus Gvelph. cum proscriberetur, locum ad hanc dignitatem fecit Bernhardo Urso Comiti Ascaniæ & Ballenstadii, cujus frater primus Princeps Ascaniæ seu Anhaltinus creatus est. Ab hujus obitu transiit in Marchiones Misniæ: Res ita habet: Cum anno 1422. Albertus III, Elector & Dux Saxoniæ, Westphaliæ & Angriæ, Princeps Anhaltinus decessisset, sine stirpe masculâ Fridericus Marchio Brandeburgensis, Ericus Dux Lauenburgicus, & Ludovicus Palatinus Elector hunc honorem affectabant. Verum Sigismundus Imperator cum Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Friderico, cui

cui nomen Bellicoso indiderant, contulit, ob causas, quas literæ investituræ exprimunt. Nempè, quod per mortem Alberti Electoratus, ArchiMarschallatus & Palatinatus Saxoniæ tanquam feuda vacantia ad Imperium rediisse crederentur. Hinc contulit ea Friderico Landgravio Thuringiæ, als der/ Ihrer Mayest: gegen den Ketzern zu Böhmen am nechsten gesessen/ der auch Ihrer Keyserl. Mayest. viel nütze und köstliche Dienste wieder dieselben Ketzer gethan/ auch allezeit mit Ihm in stetem Kriege gewesen/ sich auch in der Schlacht mit den Böhmen wohl bewiesen/ was die Christenheit/ Seine Mayest: das Reich an demselben Churfürsten zu Sachsen hetten. Datæ sunt hæ literæ Budæ anno 1426.

TH. VIII.

An verò citra injuriam Ducum Saxoniæ Lauenburgensium & Anhaltinæ familiæ Sigismundus Imperator Ducatum & Electoratum Saxoniæ Friderico I. Bellicoso Marchioni Misniæ concedere potuerit? non solum in auditorio Imperatoris ventilatum, verum etiam prætextu denegatæ justitiæ ad Concilium Basileense ab Erico Duce Lauenburgensi delatum. Pro Erico Krantzii testimonium lib.8. Saxon. & lib.9. c. 19. imprimis facit, quæq; plura pro eo faciant, argumenta, collegit, iisque respondit Knichen de Saxon. non provoc. jure verb. Electorum c.2.n.6.& seq. ex quo illa Lymn. Jur. publ. lib.3. c.10.n.3. & seqq. Hâc de re operæ pretium erit audire Sigismundum, & quædam ex edicto Ulmæ anno 1434. publicato hîc depromere: *Sigismundus* (concomitante titulo) *notum facimus, ac cunctis nostrô Imperiô subjectis publicari jubemus, quod ad nostræ Majestatis notitiam pervenit, qualiter Illustris Ericus Dux Lauenburgicus, Illustrem Fridericum Saxoniæ Ducem Sacri nostri Imperii ArchiMarschallum coram Sacro Basileensi Conciliô super Ducatu Saxoniæ, & ArchiMarschallatu & Jure eligendi Romanorum Principem trahere nititur in causam prætendens, principatum, officium, & jus supradicta sibi tam hæreditariô, quam etiam infeudationis per nos sibi factæ jure deberi: Et insuper, quod nos super impeditio-*

nibus sibi promissorum occasione contra præfatum Fridericum competentibus, justitiam administrare denegaverimus, querelas in publicum proferre minimè veretur : Per quorum alterum nostræ majestatis autoritati derogatur , per alterum autem honorificentiæ nostræ detrahitur &c. quæ ad hæc supplenda faciunt hauriantur ex Goldast. tom. III. constit. Imperial. p. 440. Urgebat præcipuè Ericus simultaneam investituram, quasi ab ipsô Sigismundô aliquam impetrasset, in casu si Rudolphus Saxo sine liberis decederet, quam tamen sub & obreptitiam esse, imò technis & fraudè à Cancellario Imperatoris, hujus præter scitum emendicatam, satis Imperatoris Judicium probat, quod ex Spalatino retulit Hortleder. de caus. bell. Germanic. lib. 4. c. 23. & post illum Lymn. lib. 3. c. 10. n. 9. Quo itaque jure ad prædictos Marchiones Misniæ Electoratus pertineat jam nobis evictum puto.

TH. IX.

Dignitates, quæ Saxoniæ Electoratui cohærent, sunt, ut quintum in electione votum habeat, & ad sinistram partem immediatè post illum, quem ex ArchiEpiscopis in latere sinistro sedere continget, primum locum obtineat,. A.B. tit. IV. Ut ArchiMarschallatus officio, quod ipsi confirmatum, tit. 5. satisfaciat, cogitur ad positum ante ædificium sessionis Imperialis vel Regalis acervum avenæ, equo accedere, & habens in manu baculum argenteum & mensuram argenteam , avenâ eandem replere ac famulo primitus venienti ministrare. A.B. tit. 25. §. 1. Ad quæ addendus quoque Burggraviatus Magdeburgensis, qui ab initio quidem anno 1313. ut scribit Peccensteinius in theatrô Saxon. part. 1. c. 20. ad Electores familiæ Anhaltinæ devolutus, postea verò anno 1420 à Sigismundo Imperatore hæc dignitas pro beneficio Imperii collata fuit, Friderico Landgravio Thuringiæ, postea Electori. Ita habent verba formulæ Investituræ, quantum ad hanc quidem rem Nam integram vide ap. Albinum in der Meißnischen LandChronic. tit. 16. Und haben als wir in unser Königl. Majestät zu Offen gezieret gesessen / mit wohlbedachtem Muth / guten Raht unserer

und

und des Reichs Fürsten/ Geistlichen und Weltlichen Graffen/ Herren Edelen und getreuen dem vorgenanten Friderichen/ zu dem vorgenandten Fürstenthumb gewürdiget/ und mit seinem Pannier und Schildt eingeweiset/ und Ihm auch dazu geschicket / und Ihm also im Nahmen der Heiligen Dreyfaltigkeit das vorgenandte Churfürstenthumb und Hertzogthumb zu Sachsen mit sampter Chur und ErtzMarschallampt dazu gehörenden / und auch sonsten mit der Pfaltz/ Hauß und Stadt/ Alt Stadt der Burggraffschafft und Graffen Gedünge zu Magdeburg und Halle/ und mit allen seinen Herrligkeiten/ Würden/ Ehren/ Mannen/ Mannschafften/ Lehen/ Lehenschafften/ Eigen/ Eigenschafften/ Pfande/ Pfandschafften/ die zum Hertzogthumb zu Sachsen von Alters her gehöret. Tales Investituræ aliæ etiam ut Friderici III. Friderico II. Electori & Wilhelmo fratribus Ducibus Saxoniæ Aquisgrani die Lunæ post Viti 1442 & Ernesto Electori atque Alberto, fratribus Ducibus Saxoniæ, Neostadii die S. Johannis datæ reperiuntur. Præterlapsô modò seculô hâc de re controversiæ natæ inter Albertum ArchiEpiscopum Moguntinum, Magdeburgensemque & Electorem Johannem Fridericum, postmodum anno 1579. Electore Augustô, & administratore ArchiEpiscopatus Magdeburgensis Joachimo Friderico Brandeburgensi hæc lis decisa est: ut Saxo omnibus Juribus in Episcopatu Magdeburgensi, ut sunt deß Landes Befehlung Graffengedings/ Bestellung/ Ubung und Gebrauch der peinlichen Gerichte Jurisdiction und derselben Execution pro se & totâ suâ progenie renunciaverit, cum hôc additamentô, daß der Churfürst zu Sachsen sich des Tituls Burggraff zu Magdeburg/ mit den dazu gehörigen Aemptern nicht begeben haben. vid. Hortleder. lib. 5. de caus. c. 28. p. m. 1223. & 24. adde Andr. Knichen de Saxon. non provocand. Jur. c. 4. n. 48. Reinecc. de Orig. stirpis Brandeburgicæ in Joachim. Frideric. Dresser. part. 2. millenar. 6. tit. de Burggraviis Magdeburgensibus. Sunt autem insignia Burggraviatus; ein halber weisser Adler im rohten Felde mit der güldenen Krone auff einer seiten/ auff der anher rohte Balcken im Felde die quere gezogen. Petrus Albin. in Chron. Misnens. tit. 16.

Quod supra nobis omissum, hîc denuò inserendum, vicariatus scilicet, quem cum A.B. Palatino simul & Saxoni deferat, in hunc locum paulò plenius tractandum rejecimus. Salubri meherclè consilio, ne Respubl. quid detrimenti pateretur, & ad instar navis in medio maris sine *Rectore* submersioni ad primum tempestatis subortæ impetum obnoxiæ, procellis tumultuum concuteretur. Reclamantem quidem audivimus Martam Neapolitanum, qui tractat. de Jurisdiction. part. 4. centur. 2. cas. 197. n. 1. constitutionem hanc nostram, tanquam conditam in præjudicium Sedis Apostolicæ multis annis postea per Johannem Papam XXII. in extravagante suâ, si fratrum & Coëpiscoporum &c. sub tit. Ne sede vacante, revocatam putat. Nimirum vacantis Imperii Jurisdictionem ad Papam devolvi contendit Marta cum aulæ Pontificiæ parasitis Bellarmino in lib. de Pontific. Roman. Anton. de Rosell. de potestat. Papæ & Imperat. §. decimæ rationi. n. 2. Restaur. Castald. de Imperat. quæst. 90. Martin. Laudens. de Principe quæst. 551. Sed nescio quàm benè sibi Marta de calculo historico constet, quod anno 1334. mortem obiisse Johannem, quem nominat, compertum habeamus, cum longo demum tempore post A.B. scil. circa annum 1356. Norinbergæ sit promulgata; ipsomet fatente Imperatore in procem. A.B. & ad hunc quoque annum referente Goldasto Tom. 1. Constit. Imperial. fol. 351. Deinde non advertit Martha, quam insigniter à scopô suô aberret, dum inferiorem Imperatore Papam facit, quem tamen extollere omni nisu ac nixu laborat. Omnis enim vicariatus superioritatem præsupponit ejus, cujus vices gerit, Bodin. lib. 1. de Republic. 9. n. 127. adde quæ habet Arum. discurs. 5. ad A B. thes. 1. Ut itaq; has syrtes elabatur Marta sanctionem modò Carolinam rati habeat, quæ quidem in Palatino confirmatoria in Saxone verò concessoria.

TH. XI.

Quo verò tempore ille vicariatus ad utrumque accesserit, adeò expeditum non est? Ad Palatinum quidem Jure Præfecturæ

Palatii veteris sub regno Francorum pertinere, scribit Marquard. Freher. ad Petrum de Andlò lib. 2. de Roman. Imp. c. 10. Aliter paulò sentit Andr. Knichen de Saxon. non provoc. Jur. verb. Elector. c. 1. n. 121. qui hoc, quicquid est Juris Palatinis Rheniante tempora Ottonis III. competiisse contendit. Illud pro certo habemus hanc dignitatem Palatino ante conditam A.B. competiisse, quod Ludovicum Palatinum Rheni post mortem Rudolphi I. antequam regnum accepisset Romanum, Adolphus, vices gessisse Regis, legere sit apud Apud Aventin. lib. 7. annal. Bojor. fol. 576. Martin. Crus. lib. 3. Annal. Svevic. Quod etiam probat Cuspinian. in vitâ Ludovici, Imperatorem Ludovicum IV. in Comitiis Francofurtensibus de anno 1339. ita loquentem inducens: *Longâ & approbatâ consuetudine inconcussè à Majorum ordinatione hactenus observatâ, vacante Imperiô Jus administrandi Imperii feuda conferendi & negotia cætera disponendi Palatino Rheni debetur.* Vide quoque Goldast. in Constit. Imperial. tom. III. de anno 1339. Postea hoc Jus Palatinis confirmarunt non solummodo Carolus IV. in A.B. sed etiam Rupertus I. anno 1401. apud Goldast. Constit. Imperial, tom. 1. p. 381. Maximilianus I. & Carolus V. apud Goldast. in den Reichs Satzungen. tom. II. fol. 241. Nec magis certum est, quonam tempore vicariatum Saxoniæ Elector obtinuerit. Si res Freheri judiciô staret eodem tempore Saxoni, quo & Palatino hæc dignitas esset collata, quod ab antiquo Palatini titulo æquè gaudeat, lib. 2. ad Petrum de Andlo c. 10. Quod tamen exindè dubium parit, quod in Constitutione Ludovici Bavari, quæ ap. Goldast. Tom. III. Constit. anno 1339. extat: ne verbulum habeatur de Electore Saxone, quod tamen procul dubiò Imperator silentiô non involvisset, si jam tum vicariatum Saxo obtinuisset. Et sanè Carolus noster Imperator more suô à veteri observantiâ, consuetudine aut privilegiô hujus vicariatum deducere non omisisset, si ante ipsum Jus vicariatus habuisset Nec rectè Carolus eodem Jure Ducem Saxoniæ se frui velle dixisset, si ante ipsum Jus vicariatus ei competiisset. Nescio igitur, an erroris etiam argueremur, si quantum ad Saxonem hujus rei incunabula in sanctione Carolinâ quæreremus. Utut autem hæc dignitas utrique

utrique sit communis, limites tamen, inter quos quivis suam Jurisdictionem exerceat, distinctos habent. Palatinus quidem in partibus Rheni & Sueviæ & in Jure Franconicô d.t.5. Franconicô, inquam, cum Imperatore, quô includamus provincias extra Franconiam sitas, jure tamen Franconicô utentes, Freher. de Orig. Palat. lib. 1. c.15. Saxo verò in locis, ubi Jura Saxonica servantur, in den Orthen da die Sächsischen Rechte gehalten werden/quorum defensor appellatur Petr. Albin. in histor. Misnens. part. 1. tit. 16. Quæ verò illa loca sint, Goldast. in præfat. der Reichs Satzung/ tradit. Si verò quærantur loca, in quibus nunc Jus Saxonicum viget, dicimus Juris Saxonici observantiam non esse causam vicariatus, sed tantum demonstrationem, ita ut sufficiat, tum temporis, quo A. B. condita, in locis illis viguisse. Casus verò, in quibus Jurisdictio illa sese exercere possit, generaliter includuntur A.B. verbis, ita tamen, ut circa feuda Principum & illa, quæ Fahnlehen appellantur, exceptionem faciat, quorum collationem Imperatori reservandam putat. d. t. 5.

TH. XII.

Agmen inter Electores Brandeburgicus claudit, cui sextum votum A.B. defert. Pertinet ad dignitatem ejus, quod Imperii ArchiCamerarius dicatur, A.B. tit. 25. Officium ejus est in processionibus Imperialibus sceptrum deferre, & in solenni curiâ aquam Imperatori abluendis manibus porrigere. A.B. tit. 25.

Cap. VII.

Cap. VII.

Personam eligendam, electionisque ritum producens, ac ultimam manum huic labori imponens.

Th. I.

ET Germani eligunt, & Germanus eligendus. Quod quâ ratione factum, cum nondum satis expeditum videam, pauca adhuc circa hæc differenda duxi. Et quidem illud videtur præsupponendum, totum orbem nunquam Romano Imperiô paruisse, nec potestatem quidem Romanis omnes populos subjiciendi de jure competiisse, quicquid etiam Aristides Rhetor dixerit, miseratione dignos, qui imperio Romano non subjacebant, ut qui bonis maximis destituerentur. Cum enim omne Jus vel æternum sit, vel positivum, atque vel ab ipsô Deo, vel ab hominibus profluxerit, neutrum verò pro universali Dominatu pugnet, sanè quid de jure illô sentiendum sit, manifestum videtur. Nec diffitentes ipsos quoque Romanos habeas, quos titulos plerumque aut jura, quibus alias vulgò acquiritur aliquid aut possidetur, jus scilicet belli, fœdus, donationem & de relicti occupationem suo Imperio prætexuisse legas. Indè, quod Imperio huic non idem semper constitit vigor, quod hujus consectarium quodammodò videtur. Quantum enim à Longobardis, Vandalis, Visigothis, Svevis &c. afflictum sit, supra nos attigisse meminimus, & satis ex fide historicâ patet, ut soli lumen inferre videremur, si hisce nimium immoraremur. Illud solum nobis hîc annectendum quod populis illis tamquam imbre in Imperium delapsis, Romani non possessione tantum, sed Jure etiam recuperandi illas provincias exciderint. Cujus rei fundamentum in usucapione & longi temporis præscriptione positum volumus, quam æquè in regna ac cæteras res viliores cadere planè asserimus. Enimverò non iis possumus accedere, quos intereft Ferdinandus Vasquez, qui omnem præscriptionis vim & autoritatem ex unô

civili & positivo jure manare autumant. Ut enim non tam facilè ex ratione naturali primævâ deduci queat, deducetur pol ex ratione ejus consecutivâ, quam ratio status justificat. Dixeris iniquum esse alterum cum alterius damnô locupletari: Sed ne quidem damnum Dominus sentire intelligitur, quod suâ culpâ sentit. l.203. ff. de R.J. Neque verò civitatis tantum alicujus, sed & humanæ societatis interest, ne quarundam rerum diu & ferè semper incerta dominia sint, & ut aliquis sit litium finis, quod præstare usucapio potest, ut habetur in l. 1. ff. de usurp. & usucap. Multò maximè verò refert, ut controversiæ de regnis & provinciarum possessionibus, quoad fieri potest sopiantur, quibus nullæ aliæ potiores sunt movendo orbi, & publicæ tranquillitati perturbandæ. Atqui sine quo salus sua non constat mundo, aut pax humano generi, illud indubiè ipsa natura diligentissimè vult observatum. Hine sanè apud omnes gentes in confessô, possessiones publicas non minus, quam privatas multô tempore ita firmari, ut rescindi nequeant, quod multis testimoniis interque ea ipsô Jephtæ exemplô docet Hugo Grot: lib. 2. de Jur. Bell. & Pac. c. 4. n. 11. & ibi in annotatis.

TH. II.

Ut igitur fortè non justo tituló, quod tamen nec adeò absolutè dixerim primum Galliam Burgundi & Franci, Hispaniam Gothi, Svevi, Vandali, Pannoniam, Vindelicium & Noricum Hunni, Bajoarii Alemanni, Britanniam Saxones & Angli tenuerint, longâ tamen & quietâ possessione omnes hasce gentes præscripsisse provincias occupatas dicendum est. Neq; verò simpliciter verum est illud, quod dicitur, quæ ab initio non valent ex post facto convalescere non posse, sed tum demum, si causa nova jus per se gignere idonea non accesserit. Tantâ autem temporis præscriptione accessit utique novum jus maximum & longè æquissimum. Quibus ita substratis facilè erit limites ponere, quibus Imperium Romanum tum temporis inclusum erat, quo translationem Imperatorii tituli in Carolum M. factam constat. Neque enim

enim planè dicendum est, Carolum, quæ potestati suæ subjecta habebat, jure illo Cæsareo obtinuisse, sed præter Francicum Imperium, quod jure hæreditario possidebat, Longobardicum sibi jure belli vendicabat, adeò ut frustra sint, qui regnum Longobardicum, cum regno Italiæ nullâ planè ratione habitâ commisceant, cum hujus demum jure dominium ad Francos, adeoque & Germanos, in Romam, Papam & Papalis Ecclesiæ patrimonium, quod vocant, cum titulo Cæsareo pervenerit. Et quamvis hoc jugum aliquando fuerit excussum, restituta tamen in Ottone M. hæc dignitas, ac denuò confirmata. Huic enim eandem, quæ Carolo olim M. collatam, & illud inprimis, ut Germani perpetuò Imperium Italiæ obtineant, capit. XXIII. distinct. LXIII. supra à nobis citatum loquitur, cujus tantum verba, quæ ad nostrum scopum faciunt, repetamus: *Ad exemplum B. Hadriani Apostolicæ Sedis Antistitis &c. Ego quoq; Leo Episcopus servus servorum* DEI *cum totô clerò ac Romanô populò constituimus, & confirmamus & corroboramus & per nostram Apostolicam authoritatem concedimus atq; largimur, Domino Othoni primo Regi Teutonicorum ejusq; successoribus hujus regni Italiæ in perpetuum facultatem eligendi successorem atq; summæ Sedis Apostolicæ Pontificem ordinandi &c.* Quod quidem Capitulum fictitium comminiscitur planè Baronius circa annũ IↃCCCC LXIV. quod mireris ab hoc primum figmentum illud observatum. cum ne Onuphrius quidem vir omnis antiquitatis peritissimus aliquid sinistri hîc suspicatus fuerit. Rationes, quibus præcipuè movetur, eæ sunt, quod hoc ipso Decretum Hadriani, quod ille fictum esse mavult, roboretur, quodque pœnam capitis Pontifex minitetur delinquentibus præter morem Papalium Constitutionum: Sed cum Hildebrandina scabies Baronium huc adduxerit, non mirum, quod Hadrianici illius decreti fidem in dubium vocaverit, quam tamen satis, ut puto, stabilivit, Conring. in tract. suo elegantissimo de Imper. Rom. German. nec Capitulum hoc ab uno Papa est conditum, sed simul à Romano populo, penes quem utique erat jus necis in eos, qui Rempublicam turbabant,

 præter

præter fas eligendis Pontificibus aut Patriciis: sed & ipse Papa usurpabat tum in ejusmodi sontes necis potestatem, Sed cum hæc à scopo paulatim aberrent, ut ea, quæ proprius ad nostram rem faciunt, depromamus edocuit nos illud Capitulum Ottoni, ejusq; in Italicô regnô successoribus in perpetuum facultatem eligendi successorem concessam. Quá sanè Constitutione in æternum & Romani ipsi, & alii potestate Imperatores urbis Romæ eligendi sunt exuti, omnisque hæc facultas translata ad Reges Germaniæ, aut potius ad Germaniæ Rempublicam, cujus caput Rex est. Quod verò scrupulum aliquem in animo posset relinquere, illud est, in capitulo hoc dari illud jus successoribus, h. e. Regibus ipsis non verò Reipubl. item, successoribus Ottonis non in regno Germanicô, sed in regnô Italiæ. Observandum enim est, verba hic loci respicere rationem successionis tum usitatam: quæ nempè ex parte quidem erat arbitrii Ordinum, ex parte verò in Regis ipsius hæreditate, hujus voluntate maximè prævalente. Adeò ut si mentem legis eruere velimus, illius penes quem fuerit, dare Regem Italiæ, in potestate perpetuo fore, & Imperatorem Romanæ urbi constituere. Quod verò Ottonis successoribus hæc dignitas confirmetur, præcipuè hoc juris Germanis stabiliri asserimus, ut quos veros tantum Ottonis successores putamus.

TH. III.

An verò Electores ita sint adstricti, ut Germanum necessariò eligant, quæstio non solum inter Juris publici Doctores, sed etiam inter Politicos agitatissima. Sanè vix ulla natio est, quæ gloriosis factis nomen suum extenderit, nisi ductu & auspiciô suorum Principum, suorumque Ductorum. Assyrios, Persas, Macedones, Romanos, Francos, Vandalos, Gothos, vide cæterosque Martios populos, ex suo sanguine Principes atque Duces habuerunt. Israelitas Maximus Deus ex suis fratribus Regem legere jussit, cujus vel solius exemplum tantum valeat, quantum cæterorum omnia. Exterorùm Imperia rarò diuturna fuerunt, nec ad vetera jam transitum faciam, Angli sanè Franciæ possessione, quam olim tenuerant,

rant, omninò excidere. Franci Siciliam, Neapolitanum regnum & Insubriam, sui olim dominii provincias, nec ipsi diu retinuerunt, adeò ut præter majorum suorum sepulchra nihil ibi reliquum habeant. Denique diversi populorum mores, diversa ingenia, diversæ leges, quidam etiam nec totam libertatem, nec totam servitutem pati possunt. Tac. 1. hist. Indè si peregrinus Princeps, quâ apud suos gubernandi ratione usus fuerat, etiam hîc uti volet, murmura subditorum, querelæ & ad privilegia atque immunitates provocatio, ac nisi subvenitur, remedium ex bello. Præterea talis affectus, talis fides & amor nunquam est in externis erga commune bonum, qualis in indigenis perspicitur, quorum charitates omnes complexas una patria continet, pro quâ non tantum opes & facultates, sed etiam sanguinem ac vitam profundere minimè dubitabunt. Tale potius omnium ferè externorum ingenium esse solet, ut ubi sunt, quam minimè sint, sed semper animum suum in patriæ desideriô defixum relinquant. Quod Ludovici Hungariæ Regis nobis probatum dedit exemplum, qui quamvis Poloniæ regnum, suffragiis populi ad se delatum, quia finitimum, uxore Casimiri Poloniæ Regis filiâ rogante recepisset, paulò post tamen, sive cœli Sarmatici asperitate offenderetur, sive Pannoniarum deliciis alliceretur, sive rogationibus ac votis suorum revocaretur, demum rediit uxore una cum Hungarorum Comitatu relictâ: auctore Bonfiniô decad. 2. lib. 10. rerum Ungaric. Nec non Heinricus Caroli Regis Francorum frater, ad idem Imperium accersitus, fratre mortuô ad Imperium domesticum celerrimè rediit, referente Bodino, lib. 6. de Republ. c. 5. n. 7. vid. hâc de quæst. plenius Reinhard. König. disputantem hâc de re, ap. Goldast. part. 14. Imperial. Politic. pag. 654. & 655. Forstner. ad Tac. 11. annal. pag. 133.

TH. IV.

Indè in Romanô Imperiô salubertimè sanctum, ne alius ad Imperium nisi Germanus admittatur. Cujus sanctionis mentionem facit Moguntinus in illâ cum Trevirensi disceptatione, qui-

nam ad Imperium sit admittendus: ubi, se lege & jurejurando prohibitos, ne Gallum eligant: Sed & periculum esse, si rerum summæ admoveatur, ne universam Germaniam bello contra Carolum involvat, & regni viribus ad amplificandam regni sui potentiam abutatur. Sleidan. lib. 1. & ex eo Caspar Ens ap. Goldast. part. 1. Imperial. politic. p. 64. Quæ verò illa lex sit, cujus mentionem facit Moguntinus, meritò disquiritur, ab Arum. discurs. 6. Lymn. Jur. publ. lib. 2. c. 2. Quod enim ille rerum Imperii peritissimus, non tantùm ratione politicâ nitatur, quod scilicet exteri majori semper suorum ducantur amore nec ita novi, quam sui regni commodis invigilent, (quo ipso idoneitatem personæ eligendæ A. B. expressam, mihi voluisse videtur) sed etiam de speciali lege admoneat, sanè omninò peculiarem hâc de re sanctionem intendisse dicendus erit. Indè etiam Protestantes literis suis ap. Sleidan. lib. 8. hisce concludunt formalibus: Nullus creetur Romanus Rex, quin sit ex aliquâ Germaniæ Principum familiâ progenitus. Nescio verò annon fidem habeamus Heinrico Mutio 14. chron. quem nullius facilè falsi deprehenderis, qui talem legem tempore Ottonis III. latam asserit. Accedit Franciscus Irenicus Exeges. rer. Germanic. lib. 3. cap. 33. Spangenbergius Chron. Saxonic. adde Heig. Illustr. quæst. 5. Cum quibus etiam facit Sabinus in histor. Electìon. Caroli V. qui in eadem constitutione, quâ scil. de exterô non admittendo cavetur, cautum quoq; esse tradit, ut talis Imperator eligatur, qui sit hæres alicujus ditionis Imperiô nostrô parentis. adde quæ habet Dn. Henning. Goden in tractat. de Electìon. Regis Romanor. c. 4. apud Goldast. Imperial. Politic. part. II. p. 212. Sed numquid etiam Gallus, de quo tum temporis disceptabatur, Germanus? quod Francos origine Germanos constet. Cæterum Constitutio illa, ac continua ejus consvetudo ac usus, cum Imperatorem requirunt, non qui origine sui ultimâ ex Germanis oriundus, sed qui ipse in Germaniâ & ex Germano sanguine quam proximè cretus sit. Alias Itali, Hispani, Angli Germani quoque dicendi, & ut loquitur Moguntinus ap. Sabinum: Si veteres illæ fabulæ Gallis patrocinantur, perindè poterunt Trojam à Turcis repetere, atque à nobis

Imperium

Imperium, quia perhibent se à Hectore filio oriundos esse. Neque tamen illud dubium habet, quod Carolus Germanus fuerit censendus. Quin patrem habuerit, & avum Germanos dubitandum non est. Locum itaque habet quod cautum est l. 1. §. ff. ad municip. added. modo Henning. Goden d. tractat. q. 5. Patria autem Gandavium fuit, urbs Flandriæ quam Germaniæ partem ex Trithemio Abbate constat, qui in divisione regni Francorum, à Ludovici Imperatoris filiis factâ Ludovico cessisse Germaniam, cui computabatur Galliæ Belgicæ major pars, & nominatim Flandria, Hollandia, Selandia, Brabantia, ut signatè scribit Trithemius Chronic. de orig. Francor. Denique ut transeamus, quæ ex Pliniô Tacitô aliisque demonstrat Conradus Peutinger sermon. convival. c. 4. Germaniæ quoque Flandros certissimè matrimonium Mariæ cum Maximiliano Austriaco adjecit, adeò ut Carolus V. tàm à Germanis, quàm in Germania natus sit, amplius necquicquam dubitetur.

TH. V.

Nunc paulò penitius A. B. inspiciamus, ac locum ubi hæc electio peragenda, quique intercurrant ac sequantur ritus, indagemus. Quod locum electionis attinet, ille quidem antiquis temporibus non perindè se habuit. Legimus enim Ottonem II. Aquisgrani, Cuspinian. in vit. Otton. II. Heinricum III. itidem Aquisgrani Albert. Krantz. lib. 4. c. 10. in Metropol. Heinricum V. Wormatiæ Frising. lib. 1. c. 40. histor. Lotharium II. Moguntiæ Frising. lib. 7. c. 17. electos fuisse, postea verò sive lege, sive observantiâ, introductum, ut Imperatores Francofurti eligerentur. Loquitur id Schwabenspiegel lib. 1. c. 28. his penè verbis: Als man den König kiesen will / das soll man thun zu Franckfurth oder auff dem Platz vor der Stadt. und läst man die Fürsten nicht in der Stadt / so mögen sie kiesen vor der Stadt. Quod Imperator etiam A. B. tit. 25. §. *Invenimus &c. testatur. Invenimus inquiens ex clarissimis relationibus & traditionibus antiquorum, illud à tempore, cujus contrarii non habetur memoria, per eos, qui nos*

præcesse-

praecesserunt, feliciter esse, & jugiter observatum, ut Regis Romanorum futuri Imperatoris in civitate Francofurtensi celebraretur Electio. Undè etiam disputatum olim de quorundam Electionibus, quæ alibi peractæ. Quo nomine etiam ipsius Caroli IV. electio nonnullis Imperii Principibus improbatur, quod non in loco debitô h. e. Francofurti electus fuisset, Cuspinian. in vita Caroli. Et Hermannus Lotharingiæ Dux contemptim ob id appellatus Rex alliorum, quod Islebiæ, quæ allii ferax, non legitimò in loco esset electus. Rivander in Chron. Thuring. Spangenberg. in Chron. Mansfeld. A tempore verò A. B. electionem Imperatoris regulariter Francofurti peractam fuisse, probat exemplum Wenceslai filii Caroli IV. Cuspinian. in Wenceslao: *R*uperti Palatini Cuspinian. in Ruperto Alberti II. Krantz. 11. c. 20. in Saxon. Friderici III. Krantz. dict. lib. 11. c. 20. Maximiliani I. Cruf. lib. 8. c. 20. part. 3. annal. Svevic. Matthiæ itidem & Ferdinandi II. docente nostri seculi historiâ. Si rationem hujus instituti quæsiveris? illud ob præcipuam, quæ hujus loci est, commoditatem factam dicimus, Etenim si perpendamus, quibus intervallis distet à quibusdam remotioribus oppidis, eam veluti centrum in mediô positam comperiemus. Et si non solum, quali in agrô, sed & qua ejus parte sita sit consideremus, vix alibi melius iis, quæ ad vitam necessaria, non incolis tantum, sed etiam advenis, fatebimur, cum Dom. *A*rum. discurs. 1. ad A. B thes. 35. Quod procul dubio permoverit etiam Fridericum II. *I*mperatorem, quod nundinas alias Moguntiæ haberi solitas Francofurtum transtulerit. Goldast. Constit. Imperial. Tom. III. Cruf. lib. 5. cap. 2. part. 3. annal. Svevic.

TH. VI.

Quid verò causæ, quod hunc morem non tantùm in antiquô Imperiô solitum, sed etiam A. B. confirmatum, non observatum fuisse constet, in Ferdinando I. quem Coloniæ Sleid. lib. 7. de stat. Religion. Maximiliano II. & Rudolpho II. quos Ratisbonæ Thuan. lib. 31. & lib. 60. histor. feliciter nunc regnante Ferdinando

nando III. quem ibidem, electos fuisse constet. Id quidem non absque causâ factum credimus, nec tamen Carolum adeò hunc locum electioni definiisse, ut omnem etiam necessitatis casum excluserit. Fieri enim potest, verba sunt Hartmanni Mauri, ut Imperator cum Electoribus procul in hostili solo degat adeò dissitô, ut intra præfinitæ Bullæ tempore nullô pactô Francofordiam attingere possint ad eligendum, si Imperator fortè occumbat, aut in fata concedat, in election. Caroli V. apud Goldast. Imperial. Politic. part. p.266. Quo digitum etiam intendisse videtur ipse Carolus IV. quando in d. tit. 25. ubi de confirmando electionis loco agit, hæc adposuit: *Quapropter ex certis causis etiam futuris præmissa temporibus servari debere declaramus, nisi præmissis omnibus seu eorum alicui impedimentum legitimum obviaret.* Quæ tamen non eô animô dicta velim, quasi temerè majorum morem mutandum putem. Magni enim Provinciales faciunt servari ipsis antiquas consvetudines, sed quod tantùm illa electio non omnimodè pro inutili sit habenda, quæ in casu necessitatis alibi peragitur.

TH. VII.

Ubi verò Electores Francofurtum ingressi sint, statim sequenti die diluculo ad invocationem nominis divini in æde D. Bartholomæi conveniunt, & Missam de Spiritu S. decantare faciunt A.B. tit. 2. pr. A Diis enim immortalibus nobis agendi capienda primordia etiam gentiles crediderunt, Cic. 2. de LL. & præcipuè magnarum rerum à Diis principia ducenda, idem Cic. autor est in Vatin: Unde etiam Imperator Justinianus Institutiones suas à divini Nominis Invocatione auspicari voluit, planè nobis illud relinquens, esse, si non de necessitate absolutâ Hypotheticâ tamen, quæ honestatem includit, ut in Instrumenti cujuslibet quasi frontispiciô invocatio Divini Nominis teneat. Benè enim ac competenter tunc demum geruntur universa, si rei cujusque principium decens sit, & amabile Deo. Novell. 6. in pr. Indè cum de re vix ulla deliberatio difficilior incidere possit, quam de electione

praecesserunt, feliciter esse, & jugiter observatum, ut Regis Romanorum futuri Imperatoris in civitate Francofurtensi celebraretur Electio. Undè etiam disputatum olim de quorundam Electionibus, quae alibi peractae. Quo nomine etiam ipsius Caroli IV. electio nonnullis Imperii Principibus improbatur, quod non in loco debitô h. e. Francofurti electus fuisset, Cuspinian. in vita Caroli. Et Hermannus Lotharingiae Dux contemptim ob id appellatus Rex alliorum, quod Islebiae, quae allii ferax, non legitimò in loco esset electus. Rivander in Chron. Thuring. Spangenberg. in Chron. Mansfeld. A tempore verò A. B. electionem Imperatoris regulariter Francofurti peractam fuisse, probat exemplum Wenceslai filii Caroli IV. Cuspinian. in Wenceslao; *R*uperti Palatini Cuspinian. in Ruperto Alberti II. Krantz. 11. c. 20. in Saxon. Friderici III. Krantz. dict. lib. 11. c. 20. Maximiliani I. Cruf. lib. 8. c. 20. part. 3. annal. Svevic. Matthiae itidem & Ferdinandi II. docente nostri seculi historiâ. Si rationem hujus instituti quaesiveris: illud ob praecipuam, quae hujus loci est, commoditatem factam dicimus, Etenim si perpendamus, quibus intervallis distet à quibusdam remotioribus oppidis, eam veluti centrum in mediô positam comperiemus. Et si non solum, quali in agrô, sed & qua ejus parte sita sit consideremus, vix alibi melius iis, quae ad vitam necessaria, non incolis tantum, sed etiam advenis, fatebimur, cum Dom. *A*rum. discurs. 1. ad A. B. thes. 35. Quod procul dubio permoverit etiam Fridericum II. *I*mperatorem, quod nundinas alias Moguntiae haberi solitas Francofurtum transtulerit. Goldast. Constit. Imperial. Tom. III. Cruf. lib. 5. cap. 2. part. 3. annal. Svevic.

TH. VI.

Quid verò causae, quod hunc morem non tantùm in antiquô Imperiô solitum, sed etiam A. B. confirmatum, non observatum fuisse constet, in Ferdinando I. quem Coloniae Sleid lib. 7. de stat. Religion. Maximiliano II. & Rudolpho II. quos Ratisbonae Thuan. lib. 31. & lib. 60. histor. feliciter nunc regnante Ferdinando

nando III. quem ibidem, electos fuisse constet. Id quidem non absque causâ factum credimus, nec tamen Carolum adeò hunc locum electioni definiisse, ut omnem etiam necessitatis casum excluserit. Fieri enim potest, verba sunt Hartmanni Mauri, ut Imperator cum Electoribus procul in hostili solo degat adeò dissitô, ut intra præfinitæ Bullæ tempore nullô pactô Francofordiam attingere possint ad eligendum, si Imperator fortè occumbat, aut in fata concedat, in election. Caroli V. apud Goldast. Imperial. Politic. part. p.266. Quo digitum etiam intendisse videtur ipse Carolus IV. quando in d. tit. 25. ubi de confirmando electionis loco agit, hæc adposuit: *Quapropter ex certis causis etiam futuris præmissa temporibus servari debere declaramus, nisi præmissis omnibus seu eorum alicui impedimentum legitimum obviaret.* Quæ tamen non eô animô dicta velim, quasi temerè majorum morem mutandum putem. Magni enim Provinciales faciunt servari ipsis antiquas consvetudines, sed quod tantùm illa electio non omnimodè pro inutili sit habenda, quæ in casu necessitatis alibi peragitur.

TH. VII.

Ubi verò Electores Francofurtum ingressi sint, statim sequenti die diluculo ad invocationem nominis divini in æde D. Bartholomæi conveniunt, & Missam de Spiritu S. decantare faciunt A.B. tit. 2. pr. A Diis enim immortalibus nobis agendi capienda primordia etiam gentiles crediderunt, Cic. 2. de LL. & præcipuè magnarum rerum à Diis principia ducenda, idem Cic. autor est in Vatin: Unde etiam Imperator Justinianus Institutiones suas à divini Nominis Invocatione auspicari voluit, planè nobis illud relinquens, esse, si non de necessitate absolutâ Hypotheticâ tamen, quæ honestatem includit, ut in Instrumenti cujuslibet quasi frontispiciô invocatio Divini Nominis teneat. Benè enim ac competenter tunc demum geruntur universa, si rei cujusque principium decens sit, & amabile Deo. Novell. 6. in pr. Indè cum de re vix ulla deliberatio difficilior incidere possit, quam de electione

Imperatoris, meritò Spiritus S. in præsidium est vocandus, ut corda Electorum illuminet, & eorum sensibus lumen suæ virtutis infundat, quo hominem justum, bonum & utilem eligere valeant. A.B. d. t. Quâ de re graviter Cardinalis Cusanus. *Sacri Imperii Electores, inquit, dum ad electionem procedere volunt; cum omni humilitate & devotione maximâ ad divina conveniant, spoliantes se omni peccatô, ut in mediô eorum sit Christus Dominus: Et invocatâ gratiâ Spiritus S. post introductionem agendæ rei devotam tractent de pluribus, qui ad Imperium dispositione extrinsecâ & intrinsecâ tantæ Majestatis digni esse possint*, lib. 3. de Concord. Cathol. c. 37. Quod verò de Missæ decantatione adjicitur, id pro illius temporis moribus sub Papatu factum. Pontificii enim justum piumque arbitrati sunt, electionis cujusque initium à Missæ decantatione facere. Nicol. Boër. In addit. ad Mandat. de Elect. part. 1. c. 19. At cum Protestantes verbo Dei rectius informati, ritum Missæ Pontificiæ Idololatricum abjecerint missumque fecerint Haffenreff in loc. Theologic. lib. 3. loc. 7. p. 582. Chemnit. in Examine Concilii Trident. part. 2. sess. 6. p. 167, & seqq. controverti solet, num in Comitiis celebrationi Missæ salvâ conscientiâ interesse queant? Novimus enim illos plurimum abstinuisse, Missâque durante sese absentasse. Nam in illius Comitiis, quibus Maximilianus II. in Imperatorem fuit electus, cum Witzeburgicus Liturgiam de S. Spiritu ex A. B. præscriptô peragere cepisset, tunc Palatinus, Saxo, Brandeburgicus ex choro in proximum conclave discesserunt, ac inibi, donec Liturgia ad coronidem traducta esset, permanserunt. Nicol. Heyden. de Election. & inaugurat. Maximilian. II. apud Goldast. Imperial. Politic. part. 1. p. 148. Quod etiam in electione Matthiæ I. iteratum legimus, ibi cum suffraganeus Moguntinus ad altare constitutus Missam celebrare cœperit, Palatinus, Saxo & Brandeburgicus Legatus, qui sacris illis interesse hautquaquam solent, surgentes, in sacellum, quod prope chorum est, cum Consiliariis aulicisque suis, dum ea celebrarentur, concesserunt, eâque finitâ prodeuntes iterum loca sua occupârunt. Gothard. Artus. in Ele-

ctione

ctione & Coronatione Matthiæ I, apud Goldast. Politic Imperial. part. 1. p. 170.

TH. VIII.

Ut igitur hâc de re certi aliquid statuamus, quo fine intersint Protestantes Electores huic negotio spectandum omninò erit, indeque judicium ferendum, an ut ejusmodi actum, ceu cultum divinum approbent & stabiliant. An verò, ut nonnisi officium Cæsareæ Majestati debitum, si specialiter ad hoc invitentur, præstent. Priori casu firma stat sententia, ac verbo Dei probata, quod Evangelici Principes absque conscientiæ vulnere Missæ officio interesse nequeant. Veluti responderunt Principes Protestantes Carolo V. Imperatori ad Processionem in Festô Corporis Christi ab eô vocati & invitati in Comit. Augustan. ann. 1530. Georg. Cælest. in act. illorum Comitiorum, d. 16. Jun. sub Robr. Causæ, ob quas Principes Protestantes in Festô Corporis Christi Processioni Sacræ interesse non possint Posteriore verò casu ipsos sine omni conscientiæ læsione interesse posse dubitandum haut erit, subscribentibus etiam Theologis Saxonicis, Cælestin. d. l. Ideoque cum in prædictis Comitiis Augustanis 1530. Cæsar Electorem Saxoniæ Johannem sibi de more ad Missam eunti gladium præferre jussisset, ille re deliberatâ cum Theologi dicerent, licere adesse, quod ad suum officium esset vocatus, non ad Missam velut ad cultum divinum accessit, cui se Comitem Georgius Brandeburgicus adjunxit, Cælest. d. l. Jun. 19. Quæ tamen, sicut talia pleraque, cautione opus habent, ne aliquid committamus, quod præjudicare possit. Indè præmittendâ, depermittendâ absentatione imploratio, ac ubi illa obtineri non potuit, descendendum in Cæsareæ Majestatis vota cum hâc tamen protestatione, quod illud officii tantum Politici explendi ergò factum velimus.

TH. IX.

Quibus ita ritè peractis ad altare juramentum præstituri Electores accedunt. Quo verò ordine illud fiat, quamvis ab Impe-

ratore non expressum, expeditum tamen, in relatione electionis Matthiæ, ubi hæc verba leguntur: Finitô hymnô Electores omnes unà cum Legatô Brandeburgicô, quem non præcesſit Mareſchallus cum gladio, ut cæteros Electores, ad altare Juramentum præſtituri processerunt, cumque in gradum ſupremum aſcendiſſent, & ad aſtantes faciem convertiſſent, Moguntinus in mediô conſtitutus cauſas conventus, nempè ut juramentum requirente ita A.B. præſtarent, paucis expoſuit, primumque juramentum illud, verba prælegente ei Trevirenſi, præſtitit, poſtmodò Electoribus reliquis, idem juramentum Moguntinus prælegit, quod ipſi quoque magnâ promptitudine & alacritate Eccleſiaſtici quidem ad motis ad pectus ſuum, ſeculares verò ad Evangeliorum librum digitis præſtiterunt, Hôc factô Moguntinus duos Notarios requiſivit, ut & actum ipſum notarent, unumque vel plura ſuper eô inſtrumenta conficerent, hortatus eſt. Goldaſt. Politic. Imperial. part. 7. p. 173. Ritus quidem, quos inter jurandum obſervatos, dicta modò relatio memorat, in A. B. quoque expreſſos leges. Diſertè enim præcipit, ut coram Evangeliô S. Johannis &c. In principio erat verbum, jurent, Electores quidem Eccleſiaſtici, manus ſuas pectori cum reverentiâ ſuperponant, quod nec à jure civili abhorret, Novell. 123. cap. 7. Novell. 137. c. 2. Obrecht. de Juram. calumn. cap. 10. n. 13. Seculares verò Electores Evangelium Johannis corporaliter manibus tangant, & in præſcriptam formulam jurent, quod juri iterum civili conſentaneum, l. 27. C. de Epiſcop. audient. l. ult. §. 5. C. de curat. furioſ. Novell. 74. cap. 5. Qui ritus cum ad firmandam fidem faciant, & Chriſtianos quidem admonere debeant, quod Deo optimo Maximo juramentum præſtent: Ita diverſis ſubindè diverſimodè fuerint adhibiti. Romani fœdus firmaturi ferialem porcum ferire jubebant, ſublatâ ita ad Jovem voce: Jupiter &c. audi Pater patrate, audi tu popule Albane, &c. illis legibus populus Romanus prior non deficiet, ſi prior defecit publicô conſilio, dolô malô, tu illô die Jupiter populum Romanum ſic ferito, ut ego hunc porcum hodie feriam, tantôque magis ferito, quanto plus potes pollesque Liv. lib. 1. cap. 24. Parthorum & Armeniorum Regibus mos erat, ut quoties in ſocietatem

etatem coirent, implicarent dextras, pollicesque inter se vincirent, nodôque præstringerent. Mox ubi sanguis in artus extremos se effuderit, levi ictu cruorem eliciebant, atque invicem lambebant, id demum fœdus arcanum habentes, quod mutuò cruore sacratum. Tac. lib. XII. annal. p. m. 168. Apud Macedenas sanctissimum coeuntium pignus, ut divisum gladio panem uterque libaret, quod Alexander quoque cum Roxane firmaturus matrimonium observabat. Curt. lib. 8. c. 4. Apud Jeremiam peculiare habetur firmandæ fidei genus, ubi minax loquitur divina Nemesis, c. 34. v. 18. Vnd will die Leute/ so meinen Bund übertretten/ und die Worte des Bundes/ den sie für mich gemacht haben/ nicht halten/ so machen wie das Kalb/ das sie in zwey Stück getheilet/ und zwischen den Theilen hingegangen sindt/ ubi glossa interlinearis ad versiculum 19. notat, das eine weise gewesen/ zum Wahrzeichen daß der Bund solte feste seyn/ weil sie das Opfer Gottes damit ehreten/ als zum Zeugniß der Warheit.

TH. X.

Ut ad nostrorum Juramentum revertamur, cum remitti non possit, quia ob bonum publicum susceptum, illud adhuc circa istud controversum venit, an etiam, cum quidam Electorum ceremoniis Pontificiis jure valedixerint, tactis Evangelii verbis jurare debeant? Secundò, an illæsâ conscientiâ juramentum præstare possint, eâdem formulâ cum Pontificiæ religionis addictis, & præsertim verba illa præstare: Ita me Deus adjuvet, & omnes Sancti? Et quod primam quæstionem attinet, cum nihil superstitionis habeat, Donellus lib. 24. comm. c. 14. & c. 21. circ. med. nihil peccare nostros ita jurantes statuere nulla religio prohibet, Wahremund. ab Ehrenb. lib. 2. de fœder. c. 1. n. 151. Est enim locô symboli, ut in testamento æs & libra, quo jurantes monentur, se non tam Judici, quàm DEO Juramentum præstare, nec tàm in humanô, quàm cœlesti judicio versari: Modò tamen & hoc sciamus non ad substantiam juramenti, sed ad accidentia id pertinere. Hillig. ad Donell. d. lib. 21. c. 13. lit. B. Quod posteriorem

 attinet

attinet, quia non modo superstitiosum, sed & impium est, neque sana Protestantium religio ita jurare permittit Joachim à Beust. ad l. 15. §. ult. ff. de Jurejurand. recessum prorsus ab hâc formulâ jurandi, & hôc modô juratum: Ita me DEUS adjuvet & S. Evangelium ejus. Quod non modo factum anno 1562. in Election. Maximiliani II. Imperatoris, teste Simon. Schard. de Election. Maximiliani II. ap. Goldast. in Politic. Imperial. part. 1. disc. 9. sed anno 1575. in Election. Rudolphi II. & nuper anno 1636. in electione Dn. Ferdinandi III. idem observatum novimus.

TH. XI.

Ut autem formulam & summam hujus juramenti subjiciamus, jurant fermè hunc in modum: Ego Elector juro per fidem quâ DEO & sacro Imperio sum obstrictus, secundum omnem discretionem & intellectum cum Dei adjutorio me electurum temporale caput populo Christiano i. e. Regem Romanorum in Cæsarem promovendum idoneum (i. e. præsentis Reipubl. amantem, maximâ facultate ad munera Magistratus obeunda præditum, virtutis & justitiæ studiosum, Aristot. 5. Polit. c. 9.) vocemque meam & votum seu electionem daturum absque omni pacto, stipendio pretio vel promisso seu quoquo nomine ea appellantur. Ambitus enim suffragiorum cum in Republ. fiat suspectus, meritò de securitate votorum cavetur. Graviter Plato lib. 8. *de Republ. Reipublicæ, inquit, malè constitutæ argumentum est, ubi Magistratus sunt venales, cum Principatus ac regna pecuniâ parantur. Efficit enim hoc, ut majori in pretio sint divitiæ, quam virtus, & ut tota civitas immoderato studio pecuniæ dedita sit.* Cui calculum suum addit Salust. in illâ plane aureâ ad Cæsarem de ordinandâ Republ. orat. dum conqueritur primum, non facinus, non probrum aut flagitium obstare, quo minus Magistratus capiant, laudatque illa tempora, quibus neque divitiis aut superbiâ, sed bonâ famâ factisque fortibus nobilis ignobilem anteibat. Indè in consilio, quomodo res iterum in unum coalescere possit, ostendit,

dit, aliter neque privatam rem neque publicam, neque domi neq; militiæ regi posse nisi pecuniæ studiô aut sublato, aut minutô. *Ubi enim cupido divitiarum, verba sunt gravissimi autoris, sanè non siccô pede prætereunda, invasit, neq; disciplina neq; artes bonæ, neq; ingenium ullum satis pollet: quin animus magis aut minus maturè, postremô tamen succumbit: Sæpè jam audivi, qui Reges, quæ civitates, & nationes per opulentiam magna Imperia jam amiserint, quæ per virtutem inopes ceperant, id adeò haud mirandum est. Nam ubi bonus animus deteriorem divitiis magis clarum magisq; acceptum videt, primo æstuat, multaq; in pectore volvit, sed ubi gloria honorem magis in dies, virtutem opulentia vincit, animus ad voluptatẽ, à verô deficit.* Saluft. in d. Orat. II. ad Cæsar. ord. Republ. Quæ Taciti quoque sunt querelæ ac lachrymæ, quando apud *majores virtutis præmium id fuisse memorat, cunctiúq; civium, si bonis artibus niterentur, licitum petere Magistratus: quæsturam ex dignitate candidatorum aut felicitate tribuentium gratuitò concessam, donec sententiâ Dolabellæ velut venundaretur.* Lib. XI. annal. p. m. 148.

TH. XII.

Convenit igitur Electores puras manus habere & illas ad pecuniam non conferre per l. omnes & l. sancimus C. ad L. Juliam repetund. Henning. Gœden consil. I. q. 2. n. 10. quin potestatem eligendi pro istâ vice amittat Elector, si pecuniam pro suffragio acceperit. Simon. Pistor. lib. I. Consil. n. 30. & seqq. inter consilia Modestin. volum. I. ad. Arum. disc. 3. ad A. B. thes. 8. ubi electionem talem annullandam tradit ex Schard. in l. 5. n. 4. C. de his, quæ vi metusq; &c. Inde Laudem maximam meretur Serenissim: Saxo, quem pro eo, quod suffragio suo Carolum designasset, oblatam à legatis Caroli pecuniam constanter rejecisse, & suis, ne vel teruncium acciperent mandasse Sleidanus refert. Quod

Erasmus

Erasmus Roterodamus 4. Epist. 13. fusius ita describit: *Dux Saxoniæ Fridericus delatum sibi ab omnibus Imperium ingenti animô recusavit, idq; pridiè, quàm Carolus eligeretur, mox rogatus, quem igitur censeret eligendum, negavit, sibi quemquam alium videri tanti nominis oneri sustinendo parem, quàm Carolum. Ob hunc insignem animum à nostris (Caroli Legatis) oblata 30000. Florenorum constantissimè rejecit, cumq; rogaretur, ut tantum 10000. pateretur dari famulis: Accipiant, inquit, si velint, attamen nemo postridie apud me manebit, qui vel aureum acceperit:* Ubi tamen notandum, non trahendam A. B. sanctionem ad Xenia illa ordinaria, quæ peractâ Electione Electoribus eorumque ministris præstari solent. Legis enim ambitus non spectat ad id, quod post electionem sponte datur. Quondam ante conditam Carolinam Bullam singulis Electoribus post electionem peractam solvendæ erant 4300. libræ argenti, ut patet ex literis Alberti Saxonis A. C. 1291. Umb assecuration wegen der fünfftehalb tausendt Pfund Silbers/ so einem Churfürsten nach der Wahl gebühret. ap. Goldast. p. 2. tit. 2. Polit. Imp.

TH. XIII.

Tempus, quod electioni præstitutum 30. dierum à die præstiti Juramenti continuò numerandorum, spatium exhaurit, ita ut si facere intra istos distulerint, ex tunc modo panem manducent, & aquam bibant, d. tit. §. 3. Quæ alimentorum lautiorum subtractio pœnæ loco videtur assignata, cum aliàs personæ illustres ac nobiliores non cogantur comedere allium, cæpas, panem grossum, caseum & similia, quia sunt propriè hæc cibaria. Rul. ... glos. in l. servi Urbanis vers. cibariis ff. de Legat. III. Ab hac sanctione non multum differt id, quod de Cardinalibus Electoribus Romani Pontificis constitutum legimus, daß/ wo innerhalb drey Tagen die Cardinäle keinen Pabst wehlen würden/ sollen die Bischoffe Römische Fürsten/ und die der Hutt des Conclavis vorgesetzet seyn/ genau und genugsame achtung auff das Essen geben/ so

den Cardinälen gereicht würde/und Ihnen alsdenn mehr nicht/als jede und jegliche Mahlzeit ein Gericht folgen lassen/ Onuphr. Panvin. in annotat. ad Platin. de vit. Pontific. in vit. Gregorii X. p.m. 330. Quas sanctiones potissimum periculum expressit, quod tam Reipubl. Germanicæ, quam Romæ vacante sede imminet: Illi quidem quod vicarii quoque Imperii Palatinus &, Saxo electioni interesse teneantur: huic verò, quod vacante sede, ut loquuntur, Apostolicâ, effrenatæ sicariorum licentiæ impunè grassari soleant. Undè his periculis ut fenestram clauderet Gregorius X. maximô Christianorum conciliô Lugduni in Galliâ congregato, nonnullas de futurâ Romani Pontificis electione tulit leges, & simul conclavis usum introduxit, vid. Onuphr. d.l. Neque tamen prius Electores ex antedictâ civitate Francofurtensi abeant, nisi prius per ipsos vel majorem eorum partem Rector seu temporale Caput electum fuerit. Postquam verò Electores, vel major eorum pars Imperatorem elegerit, hæc electio perinde haberi ac reputari debet, ac si foret ab ipsis omnibus nemine discrepante celebrata, d.c. 2. §.3. & 4. Inde liquere possit illud, quod electio ad Electores non ut singulos, sed collegialiter pertineat, quod multis probat Ludolphus de Babenberg. c.6. de Jur. regn. Onuphr. Panvin. de Comit. Imperat.

TH. XIV.

Utrum verò, si quis ex Electoribus ipsis electus proprium votum sibi dare atque ita augere numerum queat? id non perindè omnibus videtur. Suspecta enim res videtur operas suas ingerere per l.25. ff. de Procurat. Indèque officia desiderantibus neganda; fugientibus offerenda c. in scripturis 8. quæst.1. Quo eodem jure etiam cautum, ne quis se ipsum ad Patronatum alicujus Ecclesiæ sistere possit, quantumvis idoneus & multis studiis & meritis juvetur, c. per nostras extr. de Jur. Patronat. Nec enim quisquam in propriâ causâ idoneus Judex habetur. in l. un. C. ne quis in causâ suâ. Nihilominus non planè desunt exempla eorum, qui in electione votum sibi ipsis attribuerunt. Loquitur id ipsius Caroli exemplum, qui patris sui Johannis Bohemiæ Regis suffragiô ad Im-

 perium

perium pervenit Goldast. lib.3. de regn. Bohem. c.4. n.7. p. m. 281. Quis verò ignorat patrem & filium pro unâ personâ reputare, l. ult. C. de Impub. subſtit. & vocem patris esse vocem filii §. ei, Inſtit. de inutil. ſtipulat. Et de Sigismundo vulgaris habet traditio, quod primo locô ſententiam rogatus ſe ipſum elegerit Hagec. in Chron. Bohem. anno 1414. Boregk. in Chron. Bohem. in Wenceslao Rege & Imperatore. Buxdorff. ad A. B. concluſ. 39. lit. c. Freher. in not. ad Petrum de Andlo lib. 2. c. 2. Otto in differtat. Jur. Public. c. 10. pag. 258. Rûmelin. ad A. B. diſſert. 3. concluſ. 4. Quæ confirmantur etiam iis, quæ habet Dubrav. lib. 23. hiſt. Bohem. *Moguntino*, inquiens, *Comitia Electoribus indicente, ad quæ cum Sigiſmundus Rex Hungariæ tanquam Marchio Brandeburgenſis veniſſet, dignitatisq; regiæ gratiâ primus ſententiam eſſet rogatus de Cæſare nominando, ſe ipſum nominavit: Me, inquiens, cognovi, alios non itidem, an æquè mecum orbis Imperiò digni ſint, præſertim in tantô rerum motu, quo Italia quoq; ſchiſmate ibi durante plurimum laborat. Mirati hanc tam liberam & apertam Sigismundi vocem cæteri Electores, communiq; aſſenſu eam approbantes, ipſum Cæſarem conſultârint.* Quamvis hâc de re dubitare faciat Decretum Electionis Sigiſmundi, in quo Electores teſtantur, Sigiſmundum in Hungariâ abſentem Legatos miſiſſe, ap. Lehman. lib. 7. c. 81. Chron. Spirenſ. Goldaſt. de regn. Bohem. lib. 3. c. 4. n. 7. & cum eo Lymn. præcipuè in not. ad Otton. Jur. publ. c. 10. p. 260. Deciſionem tamen vel ex ipſis Carolinæ ſanctionis verbis depromemus, quæ §. ult. tit. 2. habentur. Quæ quidem electionem ſui ipſius reſpicere, autores habent Buxdorffium, Arumæum, Rumelinum aliosque. Neque argumenta, quæ in contrarium adduci videbantur, nos quicquam ſtringunt, ut à Caroli inſtituto avelli nos pateremur. Teſtimonium enim, quod quis de habilitate ſuâ profert, non omninò culpandum, cum ſecundum Dd. communiter ad Rubr. Inſt. Jur. Civ. ſeipſum laudare non omninò ſit prohibitum (ut Plutarchus egregio diſcurſu, quâ quis ratione, ſeipſum citra invidiam laudare poſſit, demonſtrat) præſertim ſi id remotâ omni

ambitione

ambitione fiat. Neque in Illustribus personis suspicio propter præstitum Juramentum præsumitur, & si præsumeretur cessare eam faceret aliorum assensus, ita ut invitis reliquis se ingessisse, dici nequaquam possit. Si verò desiderantibus Imperatoriam dignitatem illa semper deneganda, utique nec Carolus V. eligendus fuisset, qui unà cum Francisco Galliarum Rege, ad majores translato Maximiliano, imperium ambiebat. Sleid. lib. 1. Sed non ambitione aut quovis privato commodo ductus, verum communi bono Reipubl. Christianæ, vid. act. Mandatorium Principum & Prælatorum Hispaniæ pro Legatis ad conventum Electoralem missis ad petendum Imperium suo Regi ap. Goldast. Politic. Imperial. part. 1. disc. 6. Necquicquam statutum de Jure Patronatus nos movere debet. Neque enim adeò nos alligatos putamus Juri Pontificio, ut ideò à statutis Caroli vel ad latum unguem decedere necessum habeamus.

TH. XV.

Electus hunc in modum Imperator, peractâ statim electione dignitatem Imperatoriam & summam potestatem consequitur: Imperii Jura & bona administrat, universis & singulis Electoribus omnia ipsorum privilegia Jura, libertates, concessiones, antiquas consuetudines, & quicquid ipsi ab Imperio usque in diem electionis suæ obtinuerunt & possederunt, absque dilatione & contradictione confirmare debet, ipsisque præmissa innovare, postquam Imperialibus fuerit infulis coronatus. §. & quia d. l. 2, Quæ adjuncta electionis censentur, sunt coronatio, acclamatio, conviviorum publicorum celebratio, aliæque solennitates, quæ cum A.B. exhibentur, tum etiam aliis Imperatorum electionibus observantur. Habueramus in animô adjicere, quænam origo sit Hildebrandinæ pestis, arrogati scil. Pontificum in Imperatores juris, & quam potius tempore Caroli M. itemque tempore Ottonis I. Imperatoribus in Pontifices competierit potestas, adjunctis simul Capitulationibus Caroli V. quibus Imperator non ita pridem fuerit adstrictus. Sed cum paginæ nimium excrescerent, peculiari discursui materiam hanc altiori indagine dignam reservatam volumus.

SOLI DEO GLORIA.